

**De tabaco exercitationes quatuordecim / authore Joanne Chrysostomo Magneno.**

**Contributors**

Magnen, Jean Chrysostôme, active 17th century.

**Publication/Creation**

Hagae-Comitis : Ex typographia Adriani Vlacq, 1658.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/syzcz4gv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

1850






John Gordon Smith, M.D.  
to the Library  
Fort Pitt

~~10~~


10

Matesco-Ned




TRO  
Strongroom  
RAMC  
Coll.  
IMAG


221019150634



10/05/4.1  
64.

1-






*E.*  
*di* DE *LO*  
**TABACO**  
EXERCITIUS -

Quatuordecim.  
**MEDICAL STAFF.**  
thore  
JOANNE CHRYSOSTOMO  
MAGNENO,

Burgundo Luxoviense Patritio,  
Philosopho, Medico, & in Uni-  
versitate Ticinensi Regio Me-  
dicinae Professore.

*Editio ultima à multis mendis*  
**LIBRARY.**



HAGÆ-COMITIS

---

Ex Typographia ADRIANI VLACQ.  
M. DC. LVIII.

1800  
SOCIETY OF FRIENDS  
WILLIAM PENN  
HAROLD W. LEE  
LIBRARY  
1800

HAGG-COMPTON

ADRIAN ALMOCY  
1800

ILLUSTRISSIMO ET NOBILISSIMO  
HEROI  
PAOTHONI CALMO  
CIT. MEDIOLANENSI

COLLEG. REGIS CATHOLICI  
Consulariis et Supradictis  
**LIBRARY.**

REGENTI INCLYTQ  
EQUITI COMITIQUE  
IO: CHRISOSTOMI MAGNENS

*Immortale nomen P.*

**I**ngens ausum est meum te-  
meritatique affine, quod elu-  
cubrationes istas sub tuum  
conspectum venire sinam,  
HEROS INCLYTE, protesto-  
rem non habituras, quin prius  
sustinuerint judicem. Tanta tui  
ingenii est vis adeoque perspicax  
Genius, ut non civilia modo Re-  
gum arcana noscar, verum etiam  
in intimos naturæ recessus pene-

tret, & quod sibi optabat Seneca  
non ea parte videat naturam quae  
publica est, sed quidquid oculis  
sensibusque aliis subduxit, illud  
facillima mente assequeris: quod  
non semel miratus sum familiariti-  
tati doctissimæ jucundissimæque  
adhibitus tuæ: sive enim de side-  
rum momentis horoscoporumq;  
vi disseris, audiendus es, vel à  
Ptolomæo; sive philosophiæ na-  
turalis quæstiones minus lustra-  
tas attingis, ipsis professotibus  
moves stuporem; sive æqua lance  
negotiorum civilium momenta  
libras, plus solvis difficultatum  
uno mentis ictu, quam alii longo  
studio præviderint. Hoc meher-  
cule Ptolomæi effatum in Cen-  
tiloquio inter alias sententias  
pro te oraculum est, *Anima ad ali-  
quam rem apta seipsa plus veri asse-  
quitur, quam qui dantissime in illa se*

exer-

DE D I C A T O R I A . 5

exercuerunt. Tuus itaque Genius ad scientiarum omnium vastitatem complectendam natus ita in singulis eminet, ut sit exercitatiissimus admirationi. Res enim miraculi plena est, virum qui à juventute è forensi arena ad Regionis Magistratus emersit, gravissimis Quæsturæ, Senatorii ordinis, Consiliorumque Regiorum negotiis undiquaque emanantibus implicitum, infaustissima adhæc usum valetudine, tantam rerum, tum gerendarum, tum etiam contemplandarum obtinuisse artem, ut in ætatis suæ curriculo medio singularium hominum dotes, vel exæquet, vel superet. Quis. n. commodius tempora conficiendæ rei captare, copiosas & accommodas negotiorum secundum optata confiendorum vias inire, ingenia

EPISTOLA

quævis ad veriorem sanioremque  
partem trahere, & renitentes im-  
perante occulto Genii lenocinio  
blandissimè dum flectantur de-  
mulcere melius novit? Habe-  
mus, quod PHILIPPO IV. RE-  
GI nostro Opt. Max. gratule-  
mur, & applaudamus Mediola-  
no patriæ tuæ, quod grandes Re-  
gentis honores, qui CAIM O-  
RUM familiam jam pridem in  
Patruo tuo Hieronymo decora-  
runt, tibi tanto omnium ordi-  
num gaudio contulerit. Sed dum  
te in eo dignitatis gradu positi-  
tum veneror, pene exciderat mi-  
hi, quod offerebam tabacum,  
cujus herbæ natura optimè tibi  
perspecta est, notæque ex quoti-  
diano usu vires. At licet tantum  
ingenio etiam in re medica va-  
leas, ut acutissimum habiturus  
sim in te judicem, præfertim in  
hac,

## DEDICATORIA

hac, quam omnium optimè novisti materia, non repugno tamen tuæ sibi censuræ, cum is qui sæpius hortatus est ut de Tabaco scriberem Vir Illustris. D. Gaspar Alifer Patritius, & I.C. Mediolanensis Collegiatus, Ticinensis Civitatis, & Principatus Judex., Eques, & Comes tui meique amantissimus simul author fuerit, ut opus tibi consecratur: Quod omni ratione debui facere cum tibi tantum debeam quantum mortalium nulli: Te nempe ejus qua fruor fortunæ præcipuum sidus, & quasi horoscopantem felicitatis meæ certissimum in Ex. mi Senatus Mediolanensis Zodiaco gradum persensi. Atqui hercule ab immensa longinquitate Iovis iostar agis, favorabilesque influxus erga me tuos nulla hebetat, vel remora-

\* 4 tur

8 EPIST. DEDICATORIA.

tur distantia, nam licet interno  
mari, terrisque dividamur, tua  
tamen amabilis mens mei non  
immemor, commendationibus,  
protectione, authoritate, litte-  
ris fovere, augereque non cessat.  
Fumum ergo cum nihil Numinis  
sanctus habeamus offeren-  
dum, veluti Genio tutelari ado-  
leo; pulverem scientiarum om-  
nium arbitro conspergo; her-  
bamque ingeniorum victori por-  
rigo: Dignitati tuæ munus planè  
impar, excideretque offerentis  
manu, nisi tuo jussu conscripta  
anno superiori de Lathyri, seu ca-  
taputia Disquisitio physico-me-  
dica, qua non indelectatus es,  
spem daret, placituras aliquanto  
magis de tabaco Exercitationes.  
Vale. Ticini Regii VI. Kl. Maij  
M. DC. XLVII.

Præ-

9

# P R A E F A T I O

## AD L E C T O R E M.

**T**Abacum herbam adeo familiarem ad medicinæ philosophiæque trutinam revocare operæ pretium esse censuerunt viri è quorum nutu pendeo. De hoc argumento scripsere quidem complures, breviter hercule Carolus Stephanus in sua villa, prolixè Monardes, prolixius Everartus Antwerpianus commentariolo de herba panacea anno 1587. Non omisere inter alias herbas illius mentionem Jacobus Dalechampius, Rembertus Dodoneus, Matthias Lobellius, Castor Durantes, & alii. Hanc tamen provinciam omnium acuratissimè, & fusissimè suscepit Ioannes Neander Bremanus Vestfaliensis, qui librum inscripsit, Tabacologia, hoc est Tabaci seu Nicotianæ descriptio Medico-Chi-

## P R A E F A T I O

rurgico Pharmaceutica, vel ejus  
præparatio, & usus in omnibus  
fermè corporis humani incom-  
modis. Iam autem quid me moverit  
ut post hos authores huic materiae ad-  
moverim calamum, fuere primo Illu-  
strissimi viri Domini mei Gasparis  
**Aliferi I. C. Mediolan. Colleg.** quoti-  
dianæ adhortationes. Deinde ipsa  
medicamenti familiaritas, nam do-  
cti sumus non cum multa sed cum utilia  
novimus. Terriò ipsa naturæ lasci-  
vientis majestas, quam nemo aliter  
quam per partes complecti potest, &  
animadversiones in alios factæ. Ipse  
enim Neander extra orbitam currit,  
& juvenili impetu hinc, & inde con-  
quirit quibus sese diffundat, omissis  
interea propriis disquisitionum mo-  
mentis. Adde quod à plurimis à tabaci  
natura dissideo; cum ergo unicuique  
voi ius sit in litterarum senatu, meam  
etiam symbolam asserre libuit. Quid  
supra

## AD LECTORUM.

supra reliquos habeā, tuum, mi lector,  
judicium sit. Videbis certè quantis  
cautionibus utar in asserendis experi-  
mentis. Nihil enim me hercule in na-  
tura absque plurium causarum concur-  
su fit, difficillimumque est unicuique  
vim suam, & effectus portionem assi-  
gnare, & casum ab arte distinguere.  
Revera si exactæ essent allatæ ab au-  
thoribus pro viribus tabaci commen-  
dandis experientiæ, plus ego tabaco  
quam quisquam aliis tribuerem: Ve-  
rūm calamitosum est tot vanitatibus  
ad agrorum damna, & juniorum me-  
dicorum ludibria refertos quorundam  
medicinae scriptorum libros videre, qui  
non ut authores veritatis, judicesq; na-  
ture, sed tanquam medicamentorum  
à se inventorum patroni illa laudibus  
immeritis offerunt mendacibusque non  
rarò experimentis ultro intrudunt:  
Queres a me lector amabilis quod  
plerique sciscitantur, laudemne an  
vero

vero dannem tabaci usum? Respondeo  
tabacum optimum esse ut cætera medi-  
camentum, vires prorsus obtainere  
mirabiles, sed suis non carere nœvis,  
quos inter mihi videtur summopere  
herbam dedecorare vis illa acris, que  
& ventriculo inimica, & debiliori  
capiti infesta est: at cum preparatio-  
ne vel corrigi vel tolli possit acrimo-  
nia, si, ut medicamentum decet, raro  
sumatur, proficuum dubio procul erit  
consentiente corporis temperie. Ten-  
tavi ergo, qui non raro morbo litte-  
rariis familiari, catharro scilicet,  
vexor; illius usum exsiccando capiti  
mihi familiarem reddere, pulveremq;  
divertendæ per nasum fluxioni ali-  
quantiū adhibui molestia tolerabili,  
verūm folia non aliter adhibere potui,  
quā illa pileolo dum dormirē inferens,  
quod profuisse non diffiteor. Tu, mi le-  
ctor, tabaco utere, non abutere, & uti  
meo de Atomis disputanti Democrito  
favisti,

AD LECTOREM. 13

favisti, ita ne post atomos pulverem  
tabaci recuses mei causa naso suspen-  
dere, ut celebrata ab Aristotele  
l. i. c. 11. de hist. animal. consue-  
tudine felicitatem possimus augurari,  
dum sternutabis.

देषां देषां देषां देषां  
देषां देषां देषां प  
देषां देषां प  
देषां प

S I L-

SYLLABVS  
EXERCITATIONUM,  
Et Paragraphorum  
DE TABACO.

*Exercitatio I.*

<b>H</b>	Istoria tabaci.	pag. 1
§. 1.	De nominibus tabaci	1
§. 2.	De differentiis tabaci	4
§. 3.	De forma tabaci masculi	7
§. 4.	Cultura tabaci	15
§. 5.	De collectione, præparatione, & mercimonio tabaci	20
§. 6.	De tabaco feminæ, & tabaco minimo	24

*Exer-*

S Y L L A B U S.

*Exercitatio I I.*

Problemata, quæ circa tabaci hi-  
storiam occurrunt solvenda 25

§ 1 Cur apud Indos perpetui vi-  
roris sit tabacum, in Europa  
non item? 26

§ 2 Cur tabacum mas in femi-  
nam degeneret? 29

§ 3 Cur tabacum femina sine se-  
mine nascatur surculo, vel sum-  
mitate masculi in terram de-  
ciduo, ibique fruticante? 31

Scholium pro explicatione loci  
Aristotelis 33

§ 4 Cur tabacum aqua gaudeat  
cum tamen siccum sit? 35

§ 5 Cur infima tabaci folia de-  
teriora 36

Propositio. Infima tabaci folia  
esse deteriora 37

§ 6 De astrorum habenda ratio-  
ne in cultura, & collectione ta-  
bacī 41

*Exer-*

*Exercitatio III.*

De temperamento tabaci	43
§ 1 De substantia tabaci	43
§ 3 De qualitatibus primis ta- baci	44
§ 3 De qualitatibus secundis ta- baci	46
§ 4 De qualitatibus tertiiis tabaci	47
§ 5 De qualitatibus quartis ta- baci	48
§ 6 In quo purgantium ordine re- poni debeat tabacum, & qua- nam re corrigi .	49

*Exercitatio IV.*

Quibus hominibus utendum sit, vel abstinendum tabacum	51
§ 1 Vsum tabaci non esse utilem biliosis, melancholicis, siccio- rive corporis habitudine homi- nibus, nisi in certis quibusdam casibus	52
§ 2 Cor-	

## SYLLABUS. 17

- § 2 Corporibus præhumidis usum  
tabaci convenire § 3
- § 3 An pueris, & mulieribus gra-  
vidis exhiberi possit tabacum.
- § 4
- § 4 An tabacum exigat corporis  
præparationem, ut exhibeatur § 5
- § 5 Cautiones universales pro  
tabaci usu 57

*Exercitatio V.*

## Adversus Ioannem Neandrum

- § 1 De KAPHBAPIA quam ta-  
bacum facit 62
- § 2 De relatione, & analogia,  
quam tabaci semen habet cum  
Aquario, & Marte secundum  
Neandrum 62
- § 3 Tabacum senibus exhiberi  
posse 65
- § 4 De formis medicinalibus à  
Neandro in sua Tabacologia  
congestis. 68
- § 5 De

## SYLLABUS.

- § 5 De delectu, & sophisticatio-  
ne tabaci, 70

## Exercitatio. VI.

- |  |     |
|--|-----|
| De fumo tabaci   | 72  |
| § 1 Origo prima usus fumi taba-<br>ci  | 72  |
| § 2 De variis hauriendi fumi riti-<br>bus                                    | 79  |
| § 3 Cur tabaci fumus sit sopori-<br>ferus si copiosè hauriatur.?             | 81  |
| § 4 Cur fumus tabaci inebriet  | 86  |
| § 5 Cur fumus tabaci varia in-<br>somma excitet                              | 88  |
| § 6 De Indorum divinatione per<br>tabacum                                    | 92  |
| § 7 Cur tabaci fumus ebrieta-<br>tem à vino reprimat                         | 102 |
| § 8 Cur pituitam è capite subdu-<br>cat tabaci fumus                         | 103 |
| § 9 An lassitudinem tollat vires-<br>que reficiat tabaci fumus, &<br>quomodo | 108 |
| § 10 De magni Turcarum Do-<br>mini   |     |

S Y L L A B U S.

- mini edito circa tabaci usum,  
an scilicet fumus tabaci no-  
ceat facunditati      111
- § 11 De Regis Jacobi Britan-  
niæ odio ergo tabacum      118
- § 12 An tabaci fumus memorie  
prosit, vel oblit      119
- § 13 De legitimo fumi tabaci usu,  
deque damnis immoderati ejus  
inordinatique abusus      124
- § 14 Agitatur illa celebris quæ-  
stio, an scilicet nimio fumi ta-  
bacini usu possint atræ fuligines  
crustave nigra in capite conge-  
ri      128
- § 15 An nimius tabaci usus possit  
exsiccare, & abolere processus  
mammillares in quibus est ol-  
factus organum      135
- § 16 De tubulis asthmaticorum  
136

*Exercitatio. VII.*

- De hauriendis tab. vaporibus 138  
§ 1 Me-

20 SYLLABUS.

- § 1 Methodus nova utendi tabaco 138  
§ 2 Demissos ad ventriculum,  
aut ductos ad caput tabaci va-  
pores minus nocere, & plus  
agere, quam fumum 139  
§ 3 Canones , seu praxis utendi  
tabaci vaporibus 141

Exercitatio VIII.

- De pulvere tabaci 141  
§ 1 Quæ sit origo usus fumi ta-  
baci 142  
§ 2 Cur tabaci usus excitet inso-  
litis sternutamentum, assuetos  
non moveat.  
§ 3 Quid fiat de tanta pulveris  
copia, quæ à quibusdam absu-  
mitur. 145  
§ 4 Quid damni, aut utilitatis af-  
ferat pulveris tabaci usus. 146  
§ 5 Legitimus pulveris tabaci  
usus in errhino , & ptarmico  
149  
Exer-

*Exercitatio IX.*

De foliorum tabaci masticatione

153

§ 1 Cur folia fumusque tabaci  
famem, & sitim sedant 154§ 2 Cur folia tabaci ore detenta  
masticatione aquas & pituitam  
è capite, thorace, ventriculo  
educant per sputa. 164§ 3 Usus foliorum tabaci legi-  
timus 165§ 4 Quid virium contra arthriti-  
dem seu podagram tabaci folia  
obtineant. 166*Exercitatio X.*

De succo tabaci 175

§ 1 De virtute purgante succi ta-  
bacini 175§ 2 De succi tabacini usu pro  
vulneribus, & ulceribus 184§ 3 De alexipharmacica succi ta-  
bacini virtute, & quibus vene-  
nis sit appropriatus 185§ 4 Cur inebriet tabaci succus  
copio-

SYLLABUS

copiosè haustus 188

*Exercitatio X I.*

De formis tabaci præparandi ma-  
gis obviis in medicina 189

§ 1 De scuto, sacculo, & pileolo  
ex tab..foliis 190

§ 2 De Balneo tabaci 191

§ 3 De pillulis tabaci earumque  
usu 192

§ 4 De conserva tabaci ejusque  
usu 193

§ 5 De sirupo tabaci simplici  
ejusque usu 194

§ 6 De ungnento tabaci & ejus  
usu 197

§ 7 De aliis formulis tabaci præ-  
parandi 199

Potio ex infusione purgativa.

200

Decoctum tabaci. Ibid.

Oximei tabaci Ibid.

Glans tabaci. 201

Clyster tabaci. Ibid.

Pessarium tabaci. Ibid.

*Exerc*

SYLLABUS.

*Exercitatio XIII.*

De chymicis circa tabacum operationibus	202
§ 1 De aqua tabaci ejusque viribus	203
§ 2 De oleo tabaci ejusque viribus	204
§ 3 De balsamo tabaci, & ejus virtute	205
§ 4 De essentia, tinctura, spiritu, & æthere tabaci	207
§ 5 De sale tabaci fixo, & volatile	212
§ 6 De variis succi tabacini foliorumque condituris, ut sirupo de essentia, sirupo digesto, manna tabaci	215

*Exercitatio XIII.*

De radicibus, floribus, & semine tabaci	217
§ 1 De radicibus tabaci	218
§ 2 Defloribus tabaci	219
§ 3 De semine tabaci. Ibid.	

*Ex-*

*Exercitatio XIV.*

- Enarratio omnium tabaci virium  
earumque censura 220
- § 1 Census Morborum univer-  
versaliūm, & à tota substantia  
quibus tabacum subvenit 223
- § 2 Morbi particulares interni  
quibus tabacum confert 231
- Problema. Cur tot vires tabaco  
tributæ, & in tot morbis adhi-  
bitum. 254
- § 3 Morbi particulares externi  
quibus utilis est tabaci usus.  
255
- § 4 Cosmetica è tabaco remedia,  
sive ad ornatum 260
- § 5 Censura severior virium ta-  
baci 261
- § 6 Quodnam sit eligendum ta-  
bacum, Indicum, an Europaea-  
num; 262
- CONCLUSIO 263

EXERCITATIO I.

# HISTORIA TABACI.

**P**lantæ historia complectitur Nomina , differentias , formam , locum in quo nascitur libentius , culturam , tempus sationis , collectionis , præparationem , ætatisque curriculum quo planta manet illibatae , & vegetæ virtutis .

## § I. De nominibus Tabaci.

**A**ρχη παιδεύσεως ή τῶν οὐρανίων εἰποκεψις . Principium cognitionis est nominum consideratio , inquit Epictetus ; nomina enim tanquam essentiarum vehicula considerabat Plato in Cratylo : & ne in æquivocis obscuretur oratio , de nomine primo loco agendum

A esse

## EXERCITATIO I.

esse docuit Cicero ad Her. *Aristoteles* multis in locis. Herba itaque quam vulgo *Tabacum* dicimus, proprio apud Indigenas Americanos vocabulo *Piciet* vocatur, ut ait Monardes l. 1. Medic. Americ. In Hispaniola *pete be cenuc* dicitur teste Oviedo. Ab Novæ Franciæ barbaris sub *peti* nomine celebratur, *petumq;* & *petunum* dicunt. *Nicotiana* appellata est à Ioanne Nicotio Regis Galliarum Legato in Lusitania anno 1559. qui primus hanc plantam Galliis transmisit Reginæ, hinc *herba Reginæ*, & quod illa ab Hetruriæ Magnis Ducibus profapiam duceret, *herba Medicea* est facta, & *herba legati* ab eo, qui transmiserat Legato. *Magni prioris herba* multis in Galliæ locis, Romæ verò *herba sanctæ Crucis* aliquamdiu dicta est, quod plurimam horiti partem magnus Galliæ Prior illi devovisset, & Cardinalis à Sancta Cruce Nuncius in Hispania Lusitanica Apostolicus inde transtulisset Romam, ut olim illius Cardinalis majores lignum Sancte Crucis Romam detulerant: hinc Castor Durantes hanc Illuſtrissimam familiam salutis animæ corporisque studiosam vocat in Epigrammate de tabaco. Multis *herba sacra*, *herba sancta*, *herba divina* vocatur, ob divinos mirandosque ejus

ejus effectus, aut ob singularem inter herbas proceritatem, ut os sacrum ob magnitudinem, ita dictum, & in scriptura sacra, cedri Dei, montes Dei sunt elatiōres, hinc *divina* appallata. Malè à nonnullis *hyosciamus* creditur, absurdumque est rebus novis & antiquitatī minimē notis vetera nomina conquirere: *buglossum* tamen *antarcticum* dici posse, ait cultissimus *Jacobus Dalecampius* l. 18. hist. plant. c. 128. exiguo viroris utrobius supparis fundamento. *Panaceam* nuncupavit Everartus elogio potius quam propria nomenclatura. Omitto alias appellations minus notas, ut *Virginiis* dici *Vppuvoc*, *hispaniolis* *Cozobba*, *Cæsalpino* *Tonnabonam* ab Alphonso Tornabono, *Antistite Burgensi*; *Camerario* *Vulerariam Indicam*, *Dodonæo* *hyoscyamum Peruvianum*; *Onosmion* *Æginatæ* *Guilandino* in *Synonimicis* plantarum. Primus in Galliam semen detulit *Thevetus*, in Lusitaniam hispaniamque misit Doctor *Franciscus Hernandes de Toledo*, qui tomos 17. de Americana historia naturali civilique conscripsit *Philippi II. jussu*, cuius auspiciis Americam lustrabat: extant ornatissimi in bibliotheca Regia Escurialis figuris, picturis, coloribusque nativis singula di-

## 4 EXERCITATIO I.

stinguentibus illustrati : quod opus , nisi  
authoris morte fuisse mutilatum , Phi-  
lip. II. Alexandri , Hernandez aristotelis  
famam fecissent suam ; In Angliam ab  
Virginia detulit tabaci semen Franciscus  
Draeck Angliæ argonauta , & isti omnes  
aliquam nominis umbram fecerunt ta-  
baco : nostræ tamen Europæ fuisse non  
hospitem , sed indigenam & patriam  
plantam voluere aliqui ex eo , quod Li-  
bavius inventas esse tabaci plantas in  
Herciniæ silvæ locis magis inviis scrip-  
serit : at quis negat à ventis semina hinc  
& inde deferri ? certè ante Libavium nul-  
lus eam sponte natam , vel Europæanam  
dixit . Iis ergo nominibus , vel obsoletis ,  
aut minus tritis , *Tabacum* generaliori  
consensu appellatur , quod nomen illi ab  
Hispanis inditum ab suo naturali solo ,  
Insula scilicet *Tabaco* , cognominis sibi  
herbæ feracissima , quod nomen quia to-  
ti Europæ natum , magis arridet ; loqui-  
mur enim ut intelligamur .

I § 2. *De differentiis Tabaci.*

**T**abacum quadruplex est ; masculū ,  
fœmina , tabacum minus , & taba-  
cum Arabicum , pro qua divisione  
in Tyronum gratiam annoto , philoso-  
phos

## EXERC TATO I. I. 5

phos naturales sexum affinxisse plantis :  
licet enim Aristotel. l. 2. de gen. anim. c. 1.  
& lib. 1. c. 20 plantas quasvis utriusque  
sexus participes dicat, ideoque speciem ea-  
rum propagari, quia generationis principium  
activum passivumque habeant: mares ta-  
men dicuntur à physicis plantæ, quæ vel  
steriles sunt, sua tamen vicinia veluti se-  
mine transfuso, aliis causa essent fœ-  
cunditatis; aut quibus hispidior est, ob-  
scurior, severiorve forma exterior; vel  
quibus ad alias amicitia est sympathiave  
activa; aut queis melior insita ferocior-  
que in grandiori specimine virtus. Ob  
primam distinctionem palmis sexus af-  
fingitur; ob secundam colocynthis est  
duplex mas durior, nigricans, asperior  
gravior; femina mollior, levior, can-  
dida; ob terram rationem datur fici, &  
caprifici discrimen, caprificus enim fi-  
cuum maturitatem promovet ex Theo-  
phrasto l. 2. de causis plant. c. 12. Quarta  
verò ratio tabacum feminam maremq;  
facit: Mari enim opulentior est species,  
femina à maris semine spontanea gene-  
ratione orta degenerans, illi tantum est  
suppar: unde cum femina sit παρβοσις  
idest aberratio naturæ, ut ait Aristot. & ex  
Gal. occasionata, accessoria, fortuitaque  
productio, rectè tabacum femina dictum  
est.

## 6 EXERCITATIO I.

Aliitamen triplex statuunt tabaci genus, majus, minus, minimum. Clutius peti quatuor genera ponit. Ioannes Neander Masculum *πυκκή*, Discordis esse suspicatur; fœmina *μιοχωτή* dicitur Renéalmo; tabacum minimum, *principia* Gesnero, sana sancta Lobellio, aliis aliter dicitur: Dalechampius negat inter hyoscyami genera recensendum contra Bauhinum, Mathiolum. Dodonæum, ob discrepantes facultates. Nos hic de tabaco mare tantum acturi sumus, feminæ enim vires sunt suppare, differtque à mare 1. ratione fationis, 2. quod mas sit procerius, 3. quod virium sit firmiorum, 4. quod diutius vivat. 5. quod possit esse perpetui viroris, quod feminæ vix est concessum. Tabacum autem Arabicum herba non satis nota, quam curiosissimus Fabius Columna illustrare tentat pag. 142. operis, quod plantis minus cognitis dedicavit. Ioannes Neander pag. 5. Tabacologiæ Tabacum marem vocat Tabacum majus latifolium, feminam Tabacum minus angustifolium, sed adverti in fato à me tabaco hanc foliorum differentiam in uno mare reperiri, quare mihi magis arridet aliorum distinctio. Imagines non apposi, quod ex in sexcentis authoribus sint obvix.

## §. III. De Forma Tabaci masculi.

**F**orma plantæ altitudine, colore, foliis, floribus, semine, radicibus, caule, cortice, medulla, fibris, figura exteriori, signaturis, interiorique anatomia distinguitur.

Tabacum ut plerisque plantis continet, pro soli cœlique varietate, & culturæ modo ad variam altitudinem emergit, quia scilicet alimento copiosiori sursum evehitur, calidioriq; cælo viscidæ plantarum partes fibræque duriores quæ ipsis sunt tanquam ossa, & fulcra, facilius extenduntur. Recte enim Aristoteles c. 4. de somno & vigilia, nutrimentum sursum fertur omne, & calidum cujusque animalium ad superiora natum est ferri: quod itidem de plantis arbitrandum, altitudinem enim assequuntur giganteam si tepenti cælo accedat alimoniae copia. Limoniam itaque malum proceritate sua in Indiis æquat tabacum, in Belgio duum est triumve cubitorum, In Aquitanica Narbonensiique Gallia accedit ad cubitos quinque, Ticini plures plantas habui cubitorum quatuor, at si oportunè seratur commodeque foveatur, altius exsurget, quamvis in Gallia Cisalpina vix ea felicitate, qua in Narbo-

## 8 EXERCITATIO I.

bonensi luxuriabitur, cælum enim hic aliquanto sæviori hyeme aduersatur,

Totius plantæ viror dilutior est, & plurimum ad buglossi viriditatem accedens, nulla verò planta est quæ eundem viriditatis gradum cum alia obtineat, quod annotavit *Mediolanensis Rhetor D. Augustinus* in lib de civitate Dei, & quotidiana experientia curiosis oculis deprehenditur; jucundius autem est in virore suo tabacum, quam buglossum, tristius quam vitis.

Folia numerosa habet ampla longaque carnosæ, succi plenissima, subhirsuta, colore viridi minus saturo, succo lento, texturaque parum fibrosa, venis rarís, sed grandibus, quæque ab media majori, medium folium disterminante oriuntur disparibus intervallis, alternata tamē propagatione. duo in foliis nature providentis miracula annotavi. Primum est ipsas foliorum alias pediculo diffusiores adhærere tunco, ut scilicet ea fulcri additione prolixius folium firmius adhæresceret, cæteroqui proprio pondere minaretur ruinam. Secundum perpetuis anastomosib. venas intersc. communicari ad majorem perfectioremq; succi elaborationem, & folii nutrimentum. Porrò cubitalia folia tabaci hic habuimus, palrumq;

## DE TABACO

9

rumq; duarum latitudinis. Plantam autem istam perpetui viroris esse appetentem colligimus ex foliorū quotidie subnascentium multitudine, & omniformi plantæ statu. Siquidem in eadem planta folia matura, surculos, foliorū rudimenta, mediæ ætatis folicula, flores, semen, calicullos eodē tempore videbis, ramuli enim aliqui sub grandiorū foliorum interno-diiis tenerrima lanugine sese promunt, unde æterni viroris appetens tabacum perpetua generatione occiduas sui partes novo ortu conatur reparare.

Summis in ramis qua folia cauli altiorēm aërem dedunt, flores gestat numerosos ex albo purpurascentes, supernè pentagoniformam repandis labris, & longo canali suffulti capiti inhærent conoideo, foramemq; in sui medio relinquūt, unde odor non ingratus aspirat. Quamdiu autem suo caliculo tanquā fasciis obvolutus est flos immaturus, viridis est in metę formam, five coni instar turbinatus, basi tamen sphæræ segmento circinata.

Excisis floribus succedit caput, ut dixi conoideum, exiguae tamen areæ, ibique generatur semen minutissimum, cui color est ex rufo fuscus, seu nigricans cum maturuit, immaturum cæterorū seminū more albescit virescitque, at figuræ est,

A 5

quæ

10. EXERCITATIO I.

quæ ad ciceris rubri formam accedit superficie annulatim, & squamatim asperata, quod per omphaloptrum deprehendit: magnitudine papaveris semen æquat, sapore haud absimili.

Radix multifida crassa que satis, variis fibris fruticans, cæterarum plantarum more radix ferè ramosa est, si quod è terra emergit ramis luxuriat, nam inferiora plantarum superioribus respondent. Plurimis itaque exsugendo alimento fibris circumvestitur: quia voracissima herba tabacum cum plurimo debeat saginari succo ob magnitudinem, & pinguedinem, multis indigebat illi conquirendo radicum propaginibus. Corticem facile relinquit, quod succulentioribus plantis est familiare, nam cohærentiam corticis cum radice interiori præpedit succi copia inter utriusque commissuras deducta. Lignosa præterea est colore subflavo, quod quibusdam ansam dedit conjiciendi vires ad bilem evacuandam obtainere. Sapore tamen est subdulci cunctando quodam acumine linguæ cacumen divexante. Cæterum frequentissimæ radicis fibræ terram undequaque suam ambiunt, suntque instar lanuginis illius, quæ vasturtii radices circumvestit, colore albicanti, dum teneræ sunt, subflavo cum

## DE TABACO.

14

cum adoleverunt, iis sapor est nullus, quia crudo abundant minimeque concocto succo, qui postquam firmiori radice est digestus, incipit aliquid acquirere saporis, qui per caulis foliorumque filtrationes statum maturitatis multis concoctionis gradibus acquirit.

Caulis est rectus, ramosusque cortice præpingui, ita ut illitus melle videatur tangenti ob villorum frequentiam quibus circumvestitur. Arundinis instar lignosus est cum adolevit, medullamq; circumpleteatur, & protegit; illa qua radicibus emergit exigua est, & angusta, qno vero altius per truncum repit ampliori est sinu; ita ut eleganti analogia dicere possimus medullam esse plantarum ventriculum, cuius orificium angustum, sinus capacissimus, propagationes intestinorum instar oblongæ, sed exiles: rectè natura ita providit, ne scilicet dilatum orificium medullæ, terrestres, crassosque succos eiberet, iisq; veluti morbo à cruditate, & obstructiōnibus planta laboraret; capacem autem medullam fecit in medio, ut copia majori alimentum concoqueretur. Caulis fibræ sunt rectæ, quod facile deprehendes si deorsum versus secare siccum tentes. At medulla variis sinubus fibratim

annexis

## 12 EXERCITATIO I.

annexis componitur; illa post maturum  
femen maximè conspicua est.

Figura autem exterior plantæ quid det  
in sua physiognomia, indicij curiositatis  
est fortasse majoris, quam utilitatis, vel  
certitudinis explorare; verum cum om-  
nia animalia suas voces suosq; gestus ha-  
beant quibus internas affectiones pro-  
munt, ita inditi videntur plantis certi  
quidam characteres externi, qui crassa  
Minerva quid obtineant virium manife-  
stant: hinc nobiscum plantas loqui Magi  
quondam Persorum voluerunt post quos  
Crollius in prefatione de signaturis p. 18  
*magice plantarū sermocinationis meminit.*  
Figura ergo exterior speciei sq; tabaci rei  
istius arcanae expertis referri debet ad  
Martem, & utriusq; proprietates analoge  
sunt: rubigo ferri tabaco inimica, ferri ve-  
nenum rubigo, Marti ferrum addictum  
ab astrologis, & chymicis: hinc militi-  
bus castrisque turbæ utile diceretur  
tabacum ab nugarum istarum adorato-  
ribus.

Majoris aliquanto apud me momenti  
est plantarum signatura, quam configu-  
ratio, relatio, figurave stellis relata,  
licet enim Medicorum abortus ille Para-  
celsus afferat *stellas terrenas esse plantas*,  
*quæ cœlestes plantas*, id est *stellas respiciant*,  
ita

ita ut quævis planta suam habeat stellam specificam, id tamen nullo fundamento dictum, cum certum sit easdem herbarū species in australibus plagiis reperiri, quæ in meridionalibus, licet stellis longè diversis foveantur. Vanior est ergo plantarum figura, & astrologismus, quam signatura; ergo huic puncto majori utilitate insistemus, quodque ab iis omnibus, qui de tabaco pertractarunt, omnino prætermissum est.

Prima itaq; signatura tabaci in florib. manifesta est, illi enim suo adhærentes capiti infundibulum cerebri glandemq; pituitariam repræsentant: & nescio, an exonerando capiti à pituita gravato fidelius remedium possit exhiberi, quam florū foliorumque conserva æquâ proportione commixtorum.

Secunda signatura est in foliis, quibus ut ventriculo triplex est tunica, exteriores duæ hinc & inde pellucida, & albicans, interior autem puri viroris, quæ quidem membranæ diligent sectione ab media vena inchoata opus habent, ut dividantur; feliciusque separantur in foliis tabaci in umbra siccatis. Et id ventriculo aptari tabacum prodit, illienim tunieæ sunt tres sicuti tabaci folio duæ propriæ, exterior autem cauli folioque communis effet abjicienda.

## 14 EXERCITATIO I.

Tertia signatura anatomica sectione  
eget, latetq; in capite plantæ ubi semen



est. Accipe igitur conum ubi semen conservatur, illum per sectionem rectam, quæ in cono circulum generat diffea, hanc expressam videbis figuram nigro, & candido distinctam, ita ut, quod candidum vides, caro sit, medium capitissimum perreptans, nigrum autem sibi invicem contigua granula exhibeat, circulusque membranam totum caput circumcingentem. Sic ut membrana exterior cranium, lanugo capillos figuret, sub cortice duæ sunt membranulæ, durior extrinseca duram meningem, interior mollis & tenuis piam matrem exhibet: discriminatas postea cellulas rimare, quatuor cerebri ventriculorum ejusque infundibili crassa rudiaque vestigia reperies.

4. Signatura est in ipso caule, & medulla instar pulmonum spongiosa, caulis vero tracheæ laringisque vestigia deorsum

sum contemplata exhibet. Hæc pauca in curiosorum gratiam subdidic signatura anatomiaque particulari tabaci, quæ quod à Chymicis in singulis pene plantis celebretur, & nunc temporis à curiosoribus Germaniæ præsertim scriptoribus non omittatur, meas volui animadversiones in medium afferre.

#### § IV. Cultura Tabaci.

**C**ulturam inter materiales plantarum causas recensuit Theophrastus, unde non spernenda earum dignatio sumi possit. *Omnis autem planta ex Aristot. l. 2, de plantis quatuor quibusdam indiget, semine terminato, loco conveniente, aqua moderata, aere consimili: eum itaque omnia hæc perfecta fuerint, nascitur planta, & crescit, quæ si ab fuerint, imbecillior pro defectu scilicet planta fit*, quam doctrinam expressius diffususque tradit dulcissimus Theophrastus l. 2. de causis plant. c. 9. *Cultura autem naturæ imitatrix laborioso apparatu operosoq; & peculiari habitudine plantas iis in locis conservat, & progignit, ubi nulla naturæ indulgentia naſcerentur; quare illa sibi locum opportunum eligit, tum ratione soli, tum ratione aëris, cœlique aspectuum: deinde studet fatio-*

## 16 EX EXCITATIO. I.

stationis temporis. 3. ingenti sollicitudine  
femini sato providet irrigatione, & aliis  
munitionibus 4. plantam natam conser-  
vare diutissime conatur.

Nascitur tabacum ultronea naturæ vi  
in America solo non ita compacto, at  
leviori, umbrosis locis gaudet in Indiis  
ubi potentioribus solis radijs expositum  
flacesceret: at in Europa ubi mitius est  
cœlum, eligendus erit locus qui solis  
meridiani radios excipiat, habeatque  
oppositum Boreæ murum tum retun-  
dendis frigidis ventorum impressioni-  
bus, tum reflectendo solis lumini, au-  
gendoque calori; Illa horti plaga fimo  
ovino equinove saginanda, fermentata  
per plures menses terra, & ea semper  
acurate ab aliis herbis munda servata, ne  
præpraatum tabaco alimentum præci-  
piatur, uni eidemque foramini plura  
grana committes, ne ob suitatem  
suffocentur, & ut adūnato caule terram  
facilius dividant: seresque crescente Lu-  
na.

Tempus autem istius plantationis  
Septembrem præscibit *Everartus*, ex-  
perientia compertum esse felicius Apri-  
li seminari scripsit *Neander*, Nullum an-  
ni tempus illi non opportunum voluit  
*Florianus Canalis offic. med. n. 5. c. 3. Mi-*  
*hi*

hi magis placet Everarti sententia , quia scilicet opportune, primo vere pullulat, & maturitatem omnimodam per æstatem acquirit; si autem Aprili seminetur, nullum unquam semen in istis partibus ad maturitatem perducet , frigoris enim hyemalis vi præpropere aduretur.

Dum autem primum caulis eruperit rudimentum, cavendum ei à frigore , & vere proiecto transplantatio facienda, singulisque plantis sesquipedalis ad minimum bipedalisve area detur, nam quæ ampla diffusaque sunt radice amplis conserranda sunt intervallis ex Theophrast. l. 3. de caus. plant. c. 8. Addo etiam, quæ ramos diffundunt, ne vicina folis radios fibi subducant, legitimis spatiis sunt dividenda; præterea si herba voracior est, illi copiosus solum concedendum, ut ad magnitudinem convenientem assurgat : at qui tabacum luxurianti est radice, respandis ramis, & copioso succo eget, ergo legitimis est intervallis plantandum. Quæ folia Aprili Majoque eruperunt matura erunt Iulio mense. Semen itidem variis mensibus excoquetur, perpetuos enim surculos successivè fundit tabacum, neque aliarum plantarum more, de quibus eleganter pronuntiavit Theophrastus l. 1. de causis plant. c. 14. prægnantes

EXERCITATIO I. 18

*gnantes esse hyeme parturientes æstate, sed  
quod Empedocles apud eundem canit.*

*Perpetuis foliis, & toto fructibus anno  
Ubertate viget.*

Immortali ergo foliorum honore tabacum , superbit in Indiis , & Lusitania calidioribusque plagis, & eo potissimum nomine expetita initio planta, teste Evertato , ut hortorum parietes circumvestiret ad pompam , ejus dotibus non satis notis. At in his tractibus nisi cura diligēti in vasculis transferatur afflante hyeme ad cellam vinariam , vel aliquod cubiculum temperatum, folia in ipso caule computrescent, ut expertus sum.

Duo insuper circa plantam sunt procuranda: primo ut ab omni violento turbine sit immunis, neq; ventis furiosis exposita, cum habeat teneram compagationem magnitudini conjunctam , quæ autem magna sunt facilius franguntur, ut probat Aristoteles 14. Mechan. & q. 16. ubi querit , cur quanto longiora sunt ligna tanto imbecilliora fiunt. Secundo fervidiore sole arida terra copiosè irriganda, nam aqua mirificè delectatur : debet autem aqua esse potabilis, irrigatioq; vel noctu, vel in crepusculis facienda, nam nocturnæ aquiloniæve inter aquas præstant. ex Theoph. l. 2. de caus. plant. c. 8. impuræ dam-

## DE TABACO.

19

damnantur & calidæ, quia illæ ob alis  
menti corruptionem plantis inducunt  
morbos, hæ verò spiritum insitum cali-  
dumque innatum dissipant, radicibus  
nocent, ariditatem, quæ plantarum se-  
nectus est accelerant, & plantæ augmen-  
ta præpediunt; Anno 1645. æstate sic-  
ciori feniculum, & alias plantas irrigari  
jusseram, aqua sumpta est è puteo fæten-  
ti, ne ramus quidem fuit in feniculo, ne  
granulum unum, quod vermiculis non  
scateret: idem absynthio contigit, & ni-  
si advertissem tabaco adnatæ erant exi-  
guæ muscæ capite nigro, ventre vires-  
cente, quæ plantæ morbum inducederant,  
sed mutata irrigatione rediit sua puritas  
herbæ. Negat irrigandum unquam esse  
tabacum Florianus, sed toto cælo aber-  
rat, & contra experientiam adducit hanc  
monitionem. Verum quidem est aquam  
cælestem cæteris præstare ex Columell.  
l. i. c. 5. quod scilicet sit defæcata, natu-  
ræq; benignis industriis distillata, unde  
levior probabiliorque ad humanos usus,  
quia minus habet è terra; adde quod sen-  
sim imbibitur, æquali quadā lentaq; pro-  
fusione se se insinuās, quod artificiosa ir-  
rigatione fieri nō potest, licet lētè minu-  
tatimq; fiat, ut ait Claud. in Pan. Manlii.  
*Lene fluit Nilus, sed eunctis annibus extat  
Vtilior, nullas confessus murmure vires.*

## 20 EXERCITATIO I.

Tabacum licet recenseri debeat inter plantas *αιει φύλλον*, suos tamē ubiq; durationis limites habet, quod omni viventi commune est ex Avicenna prima Fen. In Indiis 10 vel 12. annorum curriculum explet; In Europa si hyemes fallit ad quadriennium durat, tum verò succedit etas arescens, & vitæ finis. At se nini collectivim fæcundam contra plerorumq; seminum morem, quæ triennio uno exhauriuntur, ad sexennium, & amplius perdurare compertum; asservatorum tamen foliorum melior pars Olympiadem unam non æquat.

§. v. *De collectione, præparatione & mercimonio Tabaci.*

**M**Atura folia cognosces odore, & ramī cui adhærent habitudine, minor iis est lanugo, color sincerior, odor saporque acuti; antequam floruerit tabacum colligenda esse præscribit Neander, sed inutili cautione, primo enim unica tantum vice collectio fieret, secundo nihil ex foliis floribusque commune, cum portio foliis nutrientis dicata florib apta non sit, neq; exhauriūtur folia nutrientis florib, aliqui nutrimentū deorsum rediret contra axioma Aristot. l. de somno & vigilia, *alimentum sursum fertur omne*. Deberet enim per trunci medullam reflecti à foliis.

Foliorum asservatio quadruplex est,

Prima est cōmunis, qua folia in loco sicco sed soli impervio expansa servantur donec sint semi sicca, tuncq; ad impedientiam exhalationem spirituum occluduntur pixide lignea, singulis foliorum ordinibus carta interposita ne putrefcant. Secunda est ut aqua & sale condiantur, & in doliolo asserventur, ut ad usum quotidianum habeantur viridia pro topicis, nam iterata aquæ puræ lotione ejecto sale, sub cineribus calefiunt, ut partib. affectis adhibeantur. Tertia asservandi ratio est si in pulverem reducantur postquam nulla exhalatione prævia inaruerunt in cibano clauso. Quarta est istiusmodi.

¶ Summitates foliaque minora tabaci cum jam flores incipiunt enasci q.s. contunde, & expresso succo Adde.

Vini malvatici, hisp. aut generosi p. iij.  
Bulliant usque ad despumationem, tum

¶ Salis, anisi, zingiberis pulveris, ana ut falsa fiat mixtura, & aromatizetur probè. Bulliant omnia simul usque ad dimidias, tum refrigerescat, & per inclinationem separetur sedimentum.

Hic succus, sive chylarium, quod Hispani *caldo* dicunt, est foliorum maturorū cōditura, nā folia deinde hoc asperguntur succo, & sub laneis tegumētis usq; ad rubedinē quadā fermentantur, tū aëri libero,  
abf-

## 22 EXERCITATIO I.

absque sole suspendenda filo , & cum siccata fuerint funis in morem intorquenda ut transportari asservariq; melius queāt. Hancque rationem Indis familiarem adducit Neander , nisi quod vini loco alia potionē usos esse , ait , p. 29. ut palmeo vino,& anisum ab Hispanis additum, ubi nota errorem Neandri; neque enim palmeo vino aut de coccis utuntur Americani à quibus tabacum habuimus , sed hęc potionum genera Orientalibus Indis non Occidentalibus nota sunt.

Ubique verò gentium in Europa præsertim , & America tantus est ex tabaco mercimoniorum apparatus , ut Ordines Hollandici 30000. florenorum annuum , è modico vectigali tabaci officinis imposito colligant , & in Italia non parū ad Principū æraria accedat emolumenti.

Tentarunt vectigalis tabacini Licitatores in agro Mediolanensi tabacum sere, semen habuerunt Indicum , crevit ad insignem altitudinem , sed quia fermentare nesciebant existimaverunt officinarum usui ineptum adscripto terræ defectu , qui ab chylarii ignoratione repeti debuisset. Aptissimum est Longobardiae solū educando tabaco , & mercimonium cresceret si illius præparationem novissent artifices. In Zelandia frigidiori

ri regione id fieri scribit Neander p. 30.  
& adornata Indico more, ut jam diximus  
folia passim divenduntur, navigant-  
que in Italiam. Majoris tamen virtutis  
Indicum est tabacum, nostrum autem  
minus nocens, unde & sirupum conser-  
vasq; è nostro tabaco confectas pro euro-  
pæanis hominibus præferrem exoticis.

Quid autem de hac foliorum tabaci  
fermentatione, & conditura censeam  
locus hic est exponendi. Primo mihi  
nullo modo placet chylarium illud fieri  
cum vino, deinde zyngiber mihi suspe-  
ctum, confici autem ex immaturis foliis  
& surculis, sive asparagis tenerioribus  
tabaci non displicet; aliam conditaram  
subdam, quæ mihi minus nociva multo-  
que delicatior videretur. Vinū adhiberi  
non probō, quia capiti nocet ex Hipp. &  
tabacum cephalica herba non debet im-  
miseri rei nervis captive noxiæ. Zingi-  
ber suspectum est, quia utuntur Zingi-  
bere Acostæ, seu Americano, non autem  
Orientali, istud quidem utile, illud ali-  
quanto deterius, & acrius: De zingibere  
Acostæ vide Dalechampium in in l. de  
plantis peregrinis.

Conditaram illud potius cinamomo,  
aniso, & feniculo vellem alterari, zingi-  
bereque orientali modico, vel salis loco  
adure-

24 EXERCITATIO I.

adurerem fol. tabaci copiam, uterque  
iis cineribus pro sale hoc modo.

Accipe cineres fol. tabaci ex artc præ-  
paratos in clibano q. s. hos indito mani-  
cæ Hippocratis, seu philtro colatorio, &  
per hos cineres fiat iterata succi ex viri-  
dibus foliis expressi colatura.

24. hujus colaturæ p. j.

Hydromelitis simpl. p. iv. f. coct. ad  
despum.

tum adde pul. cinamomi, zingiberis  
orientalis, anisi, feniculique ana q. s. fiat  
decoctio ad dimidias, & aspergentur fo-  
lia asservanda, tum facta fermentatione,  
& siccitatione ut supra diximus intor-  
queantur funicularum more.

§ vi. De Tabaco femina, & Tabaco minimo.

**E**X Tabaci maris gramine, seu ra-  
mulo in terram deciduo femina  
tabacum succrescit, imo si solum  
sit iniquius, sterile, arenosum, alimenti  
succive indigum tabaci maris semen in  
feminā degenerabit, tanta luxurie ut vix  
unquam immunis ab ea locus futurus sit.

Hæc planta angustioribus est foliis  
caule bipedali striato ramosoque, flores  
gestat purpurascentes basi virore pallido  
conspersa; cætera à mari vix discrepant.

Tabacum autem minimum præceden-  
te

humilius, radice est alba, foliis solani, floribus in calyculis mucronatim concisis luteo colore suffusis.

Folia quidem omnigena in unico mari reperies, nam triplex maturorum genuis in eadem planta legi, 1. amplum est latum longumque primogeniti nomine dignum, 2. minoris est speciminis, 3. nucis juglandis frondes non excedit, quia scilicet cœli nostratis ratio non est, ita opportuna perpetuæ germinationi quam tabacum molitur.

## EXERCITATIO II.

Problemata quæ circa Tabaci historiam occurrunt.



Ntequam ulterius nostra excurrat disquisitio, quæsti onibus nonnullis quæ lectoris curiositatem detin erent in tabaci historia, videtur esse satisfaciendū. Primo cur apud Indos perpetui viroris sit tabacum, hic autem non. Secundo cur ob soli iniquitatē degeneret semen tabaci. Tertio cur tabacum sine semine nascatur gramine in terram deciduo ibique sponte fructicāte. Quarto cur aqua tabacum gaudeat

B

cum

## 26 EXERCITATIO II.

cum tamen siccum sit: quinto, cur infima tabaci folia deteriora: sexto de astrorum habenda ratione in cultura & collectione tabaci.

§. I. *Cur apud Indos perpetui viroris fit Tabacum, in Europa non item.*

**A**mericæ tractus ille qui duos tropicos interjacet, qua scilice Peruani pars Mexicanique regni portio est, quotidie pluviis irrigatur sub meridiem; Brasiliæ verò potior regio temperie semper verna utitur, ut ajunt *Acosta, Beretarius, Lerrius, Lopez de Gomara*, aliiq; novi orbis historici. Unde paratum continuo est plantis alimentum dispositusq; ad concoquendum sol: ideoque *Yncas Garcilazzo de la Vega* in Regio commentario regum Peruviæ quovis anni mense inibi vindemias posse agi scribit, nullo ad uvarum maturitatem inepto, aliaq; de mirabili illarum regionum fecunditate recenset fide pene omni majora, quæ quidem, ut dixi, fertilitas sive ab commodis pluviis, quæ cælo soloq; ferventiori maritatæ cujusvis rei sunt feraces, oriatur, sive à stellarum verticalium aspectu, obscurisq; & humanæ curiositati subductis stellis tenebrosis, sive ab insita terris individua proprietate pecu-

peculiaris; loci constitutione fiat, ansam dedit Christophoro Colubo conjiciendi, illis in partibus paradisum voluptatis fuisse consitum. Cum ergo ibi continuum adsit alimoniae incrementum, & nulla violenta intemperie aer corrupatur, facile est tabaco virens folium retinere, nam ut ait Theoph. l. i. c. 11. de causis plantarum, quae spissa siccaque sunt facilius perdurant, quod in his paulatim affluat alimentum, addamus quod tardius effluat, si quidem perpetuo difflatur alimenti portio, unde & à virtute attractrice reparari debent illius dispendia novo in abeuntis locum suffecto: paratum autem in America est, quia soli pinguedo, pluviarum copia, solisq; ardor tabaco amicissima nunquam ibi defuere, at perpetui viroris adæquata causa non est alimenti ratio, se habet enim tantum ex parte materiei, & in nostris partibus multa perdurant quibus nullum ad est de novo alimentum, sed semel primo vere æstateq; saginata per hyemē conservantur, quasi domi de annona providissēt ut buxus, ruscus, laurus, hedera, cupressus ob duritiem scilicet foliorum, quæ si non adsit, perpetua requiritur germinatio, & alimonia, ut in malo aurantia & citria; tabacū ergo cū ejus sit virtutis ut perpetuo germinet, sicubí virore destituatur non

## 28 EXERCITATIO II.

in formalis plantæ potentia, sed potius ab aeris intemperie aut soli nequitia exquirenda causa est. Siccantur itaque in Indiis infima tabaci folia, tum quia vetustiora, unicuique enim suum est vitæ tempus præfinitum, tum quia vaporibus habitatibusque terræ facilius afflantur ægrotantique, & minus sole gaudent sub aliorum umbra positæ, alimentoque quod sursum fertur omne ad florum seminisque elaboratiouem tanquam ad palmarii plantarum operis complementum, faciliter defraudantur.

Addo his rationibus physicis demonstrationem Geometricam. Adhærent hæc infima folia suo cauli, quæ quod primogenita sunt non mediocrem assequuntur magnitudinem, & quia cæteris deinceps foliis locum cedunt, faciunt cum suo caule angulum parum distantē à recto, quare suopte pondere fatiscentibus venulis fibrisque deorsum inclinantur: necessarium igitur est pediculum tantisper inflecti, & cylindricam figuram quam à natura obtinuit curvatura semiplana inflecti, cum angulo qui partes forinsecus positas ad interiota retrudit, unde tanquam obstructione per compressionem orta, via commeat uia alimentorum vel præcluditur vel difficilior redditur

tur: derivatur ergo ad alias partes alimen-  
tum quod hanc semirupturam inflexio-  
nemq; superare non possit. Magna tamē  
diligentia asservatum in vasibus capsive  
ligneis tabacum , & oportunè frigido  
aeri subductum apud nos ad aliquot an-  
nos durat , cæteroqui frigore veluti vios  
lento sidere afflatum computrescit.

§. 2. *Cur tabacum mas in  
feminam degeneret.*

D E generes in aliam speicem naturæ  
flexus in animalium genere confides-  
ranti, facile est vel in virtute formatrice,  
aut in variarum seminum conjugatione  
viribusq; imaginationis invenire proba-  
biles causas , at in vegetantium ordine  
nullus ex his explicandi modis pondus  
habet, quamvis frequentiora in his mon-  
stra contingent. Tabacum autem femi-  
nam à masculo differre per accidens exis-  
stimo, utrobiq; enim par odor, color, fi-  
guraq; florum, imo vires suppare: Sicuti  
ergo homini contingit parciùs in pueri-  
tia habito vel alimentis uso siccioribus  
humiliorem adipisci staturam , eo quod  
ossa quæ totius corporis habitudinem di-  
metiuntur citius exsiccantur, pari ratio-  
ne plantatum , vel seminatum locis mi-  
nimè opportunis tabacum succum tra-

## 30 EXERCITATO II.

hit qui difficilius concoquitur, tardius distribuitur, habeturq; illiberalius, unde partes in planta solidiores quæq; sunt tāquam oīla, & stabilimem, ut filamenta fibræq; rectæ, & meatus interiores siccantur incrementis defraudatæ; Ex quo totius plantæ obscurior facies, humiliorq; habitudo feminam ex mare facit.

A specie in speciem plantas degenerare, conquestus est suavissimus Mātuanus.

*Grandia* sæpe quibus commissimus hordea sulcis

*In felix lolium* & *steriles dominantur avenæ,*

*Pro molli viola, pro purpureo narciso.*

*Carduus* & *spinis* surgit paliurus acutis.

Causam investigat Theophrast. l. 2. de caus plant c. 2 i. & l. 5. c. 8. Estque genuini seminis suffocatio, adventitii vel illic latentis dominium, alimenti succorumque depravatio vel parcimonia, occultū plantæ venenum, vel cælestis afflatus potentiorque siderum vis, quæ plantas dirigit, germinationi præest, & in vegetantibus imaginationis partes explet, aliò seminis impetum inclinans, solique quod plantarum est uterus, maligna temperies semen sibi commissum vel mutilans, vel corruptens, aut admixtione alterius adulterans; & aliquando plures ex his causis

causis concurrunt; non raro unica tan-  
tum rectos naturæ cursus iutorquet.

§.3. *Cur Tabacum femina sine semine  
nascatur surculo vel summitate  
masculi in terram deciduo,  
ibiq; fruticante.*

P lantæ pene omnes ramos habent pro-  
lificas, quod in oculazione, & planta-  
tione manifestū est, plantatus salicis ra-  
mus salicem, insitus pyro ammoniaci  
surculus ammoniacum generat, quod ne-  
quaquā intelligi potest nisi vim semina-  
lem ramusculo inesse intelligamus. Rem  
paulò altius repetamus. Semina plantarū  
tamquam ova considero, arbores enim  
non emitunt genitaram, sed conceptū:  
ovum autem conceptus est, in semine ve-  
rò plantæ tamquam in ovo adest germen,  
cortex, meditullium, substantiaq; primis  
plantæ incrementis apposita. Id docet  
Aristoteles l. 1. de gen. animal. c. 20. sub-  
scribitq; Empedocli qui ita canit.

Ἐτῶ δεωποῖς μειρὶς δένδρος περῶν εἰλαῖος.

Sic verò ovifcat parvas arbores primum  
olivas, sive ut sensum sensu, non autē ver-  
bum verbo reddam, sic arbor oliva ovi-  
ficat olivas (fructus scilicet) quæ sunt par-  
væ arbores. ita enim vertendū puto cōtra

## 32 EXERCITATIO. II.

interpretum sententiam, pro quo v. in  
calce hujus §.

In ramorum summitate leguntur quidem semina quæ etiam in fructuum meditullio reconduntur, at antequam illuc transmearent in medulla arboris obscura latitabant, sicuti enim cancro contingit silente luna ventre ova reconditadetinere, quæ deinde caudæ annexa fiunt manifesta, ita & arboribus usuvenire existimo, caloris enim virtutisq; germinantis impetu deducta ad arborum summitates ibidem crescunt, & manifestiora fiunt. Si ergo quo maximè tempore humor ille succusque prolificus ramulos pervadit, excidat legaturve, fætus ramus instituto operi insistēs conabitur aliquid eo seminali spiritu perficere; at incoeto imperfectoque semine nihil perfecti enasceri potest, unde quod inde generabitur tabacum debilius imperfectiusque erit: adde quod tabaci jam dudum consiti qualitatibus imbuta tellus imperfecto semini proportionatis qualitatibus auxiliatur: non ergo mirum est si favente solo à debili principio imperfecta, & degenerans planta crescat, factisq; radicibus multiplicetur; ubi enim minor desideratur apparatus facilior est generatio, in sylvestribus autem quale est tabacū femina, exiguum

exiguum est naturæ officium. Continget tabaco potius quam aliis plantis ita propagari, quia quæ grandiori sunt semine facilius pereunt, & ut ait Theoph. l. 2. de caufis plant. c. 17. *Semina minora ferociora sunt majorisq; activitatis: at semen tabaci per exiguum est, ideoq; & magnæ virtutis æstimandum, & ratione suæ exilitatis facili negotio delitescit.*

Tabacum masculum asparagis seu caulibus tenerioribus excisis plantatisq; seri scripsit Cæsalpinus, cuius rei experiētiā Basilius Beslerus Eistettensis frustra facere tentavit.

### SCHOLIUM.

*Empledoclis carmem vetus Aristotelis interpres ita expressit, Sic autem ovificant arbores parvæ primus olivas. Ego verò censeo dicendum ovifícit. Theodorus Galli versum pro versu dedit.*

*Deinde etiam oviparo genus arboreum tulit ortu. Ratio qua me movit ut existimem Δευδεξ: non esse mominatirum, verbi Ωστοκει est adiunctum,*

Mi-

## 34 EXERCITATIO. II.

Μινέρ: quare verbo ωότοκη̄ deesse  
puto in hoc versu nominativum qui in  
superioribus reperiatur, sive iterum  
δένδε Attico more, qui neutrum  
plurale jungunt verbo singulari. sive  
Φύτον, aut quod probabilius est ελαξ  
Mea autem versio Empedoclis senten-  
tiæ favet, ille enim docebat in semine  
indistinctum vivens, & in ovo pariter  
animalis inesse confusum animal, in  
semine arboris inesse arborem actu sed  
indistinctam &c unde sensus Empe-  
doclis in hoc versu iste est.

Deinde (arbor oliva) ovifat pri-  
mum (fructus) olivas, quæ sunt parvæ  
arbores; ad quid enim dixisset μινέρ;  
nonne etiam magnæ arboris ori instar  
sua edunt semin., ut quercus, cedrus  
nux, abies? standum ergo est in nostra  
explicatione que Empedoclem tantum  
nomen puerilis epitheti ludibrio sub-  
ducit, ejusq; doctrina est conformis.

§. 4. Cur

§. 4 Cur Tabacum aqua gaudeat, cum  
tamen siccum sit?

**S**imilia similibus conservari scripsere uniformi calamo Lycæi, Academiæq; Antistites , contra Empedoclem , qui contraria voluit se se fovere mutuo, planatasq; sicciores in aquis, humidiores in montibus nasci cecinit. Sed experimen-  
to repellitur: in aquis enim humida æ-  
què ac sicca promiscuè nascuntur, ut na-  
sturtium , lens palustris , piscesq; præ-  
humidi. *Arbor* (inquit Aristoteles l, 2, de  
platis c. 1.) *tres vires habet, primā è genere*  
*terræ, alteram ex aquæ genere: à terra fixio*  
*plantæ est, ab aqua coagulatio, ab igne fi-*  
*xionis unio.* Cum igitur coagulatio copio-  
fior erit facienda , majorem exiget aquæ  
vim: atqui in tabaco maxima est, ut patet  
in caulis , foliorum ramorumq; carnosa  
habitudine : ergo tabacum irrigatione  
gaudebit. Adde quod ob vim aromati-  
cam spiritusque igneos multum humo-  
ris absunit, ergo ad eam difflationem ne  
calidum innatum humidumq; radicale  
evanescat, aquis humidiorique alimen-  
to exsuctis à virtute attractrice plantæ,  
providetur.

5. Cur

§. 5. *Cur infima Tabaci Folia  
deteriora.*

**I**N infima caulis tabaci parte duo folia sunt, quæ Hispani *bascheros* vocant; iis saporem esse vimq; deteriorem asserit Neander *Tabacologiæ* p. 23. imo gratiam cæterorum foliorum odo remq; corrumpunt si iis admisceantur. Cujus rei ratio mihi duplex occurrit: prima est, quod illa duo folia halitibus terræ vicinioris se se saginant, cum iis parcius alimentum detur è planta, cum quod adhærent pediculo pene ad angulos rectos annexo, quod succi directo cursui sursum sub contrarium est, tūm quod solis radiis non perfruantur. Secunda ratio est, quia in plerisq; plantis, uti in animalibus, natura certas quasdam partes excipiendois iis succis qui plantæ adversantur dedicavit, ut animalibus glandes, cistim fellis, vesicam &c. pariter etiam in tabaco hæc duo folia intima impurius exsugunt alimentum, & si quid nocivi medullam fefellit, illuc detruditur, unde sunt tanquam emunctoria plantæ. Addamus etiam infima non tabaci


tabaci modo sed herbarum pene omnium folia esse impuriora etiam si terræ contagio non infestentur ; ratio est , quia quo alimentum magis distat ab radice , eo perfectius est ; at folia vicina radici eo utuntur alimento quod vicinus est , ergo minus id concoctum minusq; elaboratum esse debet ; revera illa duo infima folia semper adverte , degenerare tum à forma tum à magnitudine cœterorum , & acquirere situm squaloremq;; Optimè ergo monet Neander , esse rescindenda . Cui rei magis magisq; confirmandæ demonstrationem subdo Geometricam.

## PROPOSITIO.

*Infima Tabaci Folia Esse  
deteriora.*

**I**N schemate sequente notare potes naturæ providentiā , quæ teneriora semmagis foveat sibi q; arctius applicat . Secundò gradus secundum quos nutrimentum capiunt folia . Tertio gradus perfectioris elaboratiorisq; nutrimenti .

Sit



Sit caulis tabaci ABH. Radix AO Infimum folium ut situm est in ipsa planta ad angulos rectus BC. Secundi fastigii folium BD. Alia folia BE, BF, BG. quæ quo teneriora sunt, eo acutiori angulo cum ipso caule conjunguntur; primò ut facilius nutriantur, secundò ut firmius hæreant. *Dico enim si; um foli BG esse firmorem quam situm BF.* quia quod corpus aliquod grave minus distat à linea directionis ad centrum gravium, èo facilius stabit: atqui folium BG distat tantum per arcum HG. folium autem BF per arcum BI longiorem: ergo BG firmius est est in situ suo: omnium itaq; foliorum minimè firmum in situ est folium BC: distat enim à linea directionis per totum quadrantem circuli: est enim perpendicularis ipsi AB per constructionem: ergo cum insita elementarifq; gravitas pugnet continuo cum fibrarum robore, dubium non est quin infirmius stet in situ suo quam quodvis aliud folium, ac proinde quod superius dixeram, omnium primum debet faticere, seclusa etiam ætatis ratione; eo enim caulis maximè fatigatur. *Dico secundo, pesfimum omnium foliorum ratione nutritionis est folium BC.* quia cum motus alimenti plantæ fit per lineam seu medullam ABH. & omne alimentum

## 40 EXERCITATIO. II.

alimentum sursum feratur ex Aristotele, sequitur ipsi alimento violentum esse ferri in transversum, quale est BC; ergo illuc difficile feretur. Adde quod cum ex principio mechanicorum quæ magis distant à centro facilius circa illud moventur: sequitur quod punctum C. distans à centro suo B per totum quadrantem circuli, facili negotio moveatur, & contra B aliquatenus violato non ita participet de alimonia: præterea pessimum est illud alimentum quod paucos concoctionis gradus acquisivit, alimentum autem quod in BC fertur, habet tantum id coctionis momentum quod potuit conferri à medulla per exigua OB; ergo illud alimentum est minus præparatum.

Mirum præterea mihi visum est nullum omnino folium in tabaconasci quod hæreat ad angulos rectos, exceptis infimis duobus, & siquæ diutius relinquuntur, tum primum concidunt cum ali desinunt, tunc enim fatiscentibus fibris nutant, & sœviente frigore incipiunt computrescere; præterea singula foliorum fastigia à caule angulis inæqualibus distantia prodeunt, ut expressi in figura, solumq; opposita duo sibi invicem respondent. An quia medulla tabaci se habet instar puncti, spatium autem circum-

cumpositum sit ut linea recta, ab eodem enim puncto ad eandem lineam unica duci possit perpendicularis ex Proclo in propos.  
17. primi libri elem. Euc' idis? an quia varietate in omnibus indulget natura? an quia eo situ ut provida mater singulorū exigentiarū, & imbecillitati providet, matura enim grandioraq; folia veluti emancipati liberi diducunt se se ab caule, & suarum fibrarum firmitate uti gaudent, dum cætera minora infantium instar nutriticis uberibus arctius applicantur?

§. 6. De astrorum habenda ratione in cultura, & collectione tabaci.

Certum est diversis stellarum aspectibus vires plantarum immutari, & secta quibusdam lunæ phasibus ligna minus esse obnoxia putredini: ideoq; in tabaci collectione, & cultura hanc præscripsi regulam cuius rationem sum redditurus. Tabacum seratur luna crescente, colligatur autem decrescente luna. Ratio est, quia plantæ omnes ab humore coagulationem accipiunt & incrementum, humor autem aqueus crescente luna sursum magis fertur, deorsum autem cursum tenet illa decrescente, & veluti in latibulis suis occulitur; ergo si seratur tabacum crescente luna, facilius ob humoris.

## 42 EXERCITATIO II.

humoris motionem sursum, incrementum accipiet. Collendum verò decrescente eodem sidere, quia tunc minus phlegmatis habebit, retruditur enim tunc temporis aqueus humor ad interiora plantæ, hinc diutius servabitur, & nitidiori virtute pollebit. Nunquam Delphis auditum verius oraculum quam hæc Ptolomæi sententia. *Evidentissimum est diffundi vim quamdam ab ætherea natura, in universa terræ circumposita, quæque sub luna sunt omnia corpora æthereis motibus agitari, & quicquid in terra, aere, & aquis nascitur animantium, & germinum: notæ sunt magis lunæquam aliorū siderū vires, quas si certis calculis possemus definire, multa naturæ porteta mirari desineremus.* Ptol. quadrip. l. 1. c. 1

Io: Neander Tabacologiæ pag. 18. hanc insuper pro collectione dat regulam. *Colligitur ipsa herba Tabaci sole existente in 18. 19. & 20. signo Leonis.* Sed nullam video hujus præcepti rationem, nisi quod tabacum Martia herba sub stellæ pariter Martiæ influxu legi debeat: tunc autem Sol dirigit maximè qualitates, & influxus Cordis Leonis, quæ stella omnium creditur stellarum efficacissima ex Vincentio Nabod differentia secunda in Alchabitium Arabem, tum quia primæ magnitudinis nulla adeo vicina est Eclipticæ, tum etiam quod medium æstatis faciat. Verum enim verò ut hoc ego adduxi pro Neandro, tamen non tum legendæ sunt herbæ cum opportuna side-

ra influunt, sed potius sinendæ sunt, ut hoc influxu sibi commodo perfruantur. Adde quod Leonis signum igneum est, imo triplicit atis igneæ medulla, ac proinde choleraæ destinatur; primam itaque collectionem sub signo aqueo vellem potius fieri, sole scilicet cancrum deferente, si tamen tunc temporis Luna decreseret. Videretur verò nisi nobis obftaret tempestatum ratio, colligendum potius sub Scropio, tum quia domus est principalis Martis, tum quia in triplicitate aquæ quæ pituitam à tabaco evacuandam respicit, reperitur; Sed cum hæc sint adeo incerta, securius erit matritatem foliorum explorare, & luna decrescente colligere.

## EXERCITATIO. III.

De temperamento Tabaci.

HÆC exercitatio maximi est momenti, totiusq; practicæ fundamentum; Examinatur in ea sumus substantiæ & qualitates tabaci, ut ab iis vires usumq; perfectè cognoscamus.

S. I. *De substantia Tabaci.*

**S**ubstantiæ nomine crasim partium plantæ componentium earumq; strukturam intelligo anatomico more, Est enim *Domicilium determinatæ facultatis, quæ cuilibet parti propria est,* sic partis substantia ossea, nervosa, carnosa, membranosaq; dicitur. ita Laurentius l. r. anat. c. 17. In plantis itidē substantiam consideramus sed minus pressè, eamq; ligneā, fibrosam, herbaceā, corticeam, & generaliori medicorum voto oleaginosam, viscidā, succulentam, spirituosa, salīam, aeream, igneamq; dicimus, ut vide-

## 44 EXERCITATIO III.

re est apud Mesuel. de *simpl.* Substantia itaq; tabaci quoad denominationem, viderur in radice lignea, in caule arundinea sed sine internodiis, in medulla fungosa, in foliis raræ sed fortis texturæ: prædominii verò elementorum ratione constat igne, & terra salsuginem habet adustamq; illam acrimoniam quæ in sapore deprehenditur, ab igne agendi vim promptam, ab aere aromaticam portionem. Ex terra salsedinem in plantis fieri docuit præceptor Aristoteles l. 2. de plantis c. 1. Cœterum (inquit) immorante loco eadem aqua, cum hanc sibi similem efficer aer non possit, excellent in ipso terræ partes quæ salsæ sunt. Unde nitroso alimento tabacum, & calchantofo gaudet, quod præparatur terra fini equini oviniq; caloribus tosta, ut acrimoniam contrahat; odor verò illi est acer, quia siccitas humidum superat, terra scilicet ignisq; aqueam portionem.

## §. 2. De qualitatibus primis Tabaci.

**D**Ico tabacum calidum esse in secundo gradu, & succum in tertio. Hæc opinio est mihi peculiaris, nam Monardes, Dalechamphius, Lobellius calidum, & succum in secundo ponunt. Edoardus calidum & succum in tertio. Mercatus in quarto

quarto. Cæsalpinus calidum in primo, siccum in tertio. Everartus siccum in primo, calidum in secundo asseruit: alii frigidum in summo ponunt, quibus non retragatur Bauhinus. Neander sentit cum Renealmo, & utitur distinctione, virescentia scilicet folia calida & sicca in secundo, siccata vero calida & sicca in tertio statuit: quam distinctionem nescio cur admittant, nisi forte ratione illius chylarii calidissimi, quo sicca folia sunt respersa: cæterum humidum radicale plantæ superficiaria illa exsiccatione immutatur; sena enim viridis & sicca eiusdem est caloris. Probatur conclusio primò ex præcedenti. Secundò illud est calidum in secundo gradu, cuius calorem absq; dolore deprehendit sensus humanus, sive cum à potentia ad actum deductum est, exerit illam sensibilem caloris vim; at qui tabacum est hujusmodi; si enim succi guttulam deglutias, senties ventriculum moderatè calefieri: ergo est calidum in secundo, siccitas autem intensior est, plus enim exsiccat quam calefaciat, ut patet in ulceribus & vulneribus: ergo probabilius censuimus tabacū siccum esse in tertio, & calidum in secundo. Rationi autem quæ aliquos movit ut dicerent esse frigidum, fusè respondemus Exercit. 6. 3.

De

§. 3. *De qualitatibus secundis Tabaci:*

**P**RIMÆ qualitates soli tactui, secundæ verò aliis etiā sensibus subjacent, quales sunt odor, sapor, densitas, raritas, mollescētia, friabilitas, vis styptica, emolliens, abstersiva &c. coloris enim nulla habetur in explorandis simplicium viribus ratio, secus in delectu, ut ait *Gal. l. 2. de simpl. med. fac. c. 3.* odor autem saporq; æstimandi consulendiq; ex eodem Principe *Gal. Regeque Mesue can. urlib.*

Odor Tabaco parum gratus, aliquo tamen aromate conditus; ratione ergo gravedinis caput replet, aromate insito cerebro prodest.

Sapore est acri, falsugineo, mordacique, uude aperitivam, incisivam, deaphoreticam, attenuantem, siccantem, trahentemq; è longinquo qualitatem habet, quod colligitur ex Mesue in can. univers. celerrimè tergit, liquat, incidit, & à putredine vindicat, hebetq; admixtum sali suo succum oleaginosum, unde laxat benignè, sed tamen nauseam facit: adstringentem præterea vim habet insignem, ut colligitur ex ulcerum vulnerūq; curatione; & hic est optimus bonitatis character in purgantibus ex Mesue, nisi acridinē insignem haberet admixta quæ

quæ ventriculum lœdit: eam verò sequitur detersiva vis, & videtur pro partis exigentia alterutram facultatem abstersivam aut astringentum exerere; sic ulceri purgato instillatum adstringit, & cicatricem promovet. Reliquæ qualitates secundæ minoris sunt in medicina momenti.

#### §. 4. *De qualitatibus tertiiis Tabaci.*

**I**NTER qualitates tertias ponimus eas quæ non tam ab elementis quam à peculiari forma mixti promanant, quæque in illius humido radicali primariam sedem obtinent, & peculiares corporis humores excernendiq; modum respiciunt. Tababum itaq; phlemagogum est, pituitam enim & aquas subducit, & evacuat per mucum, sputa, vomitum, secessum. Si crassa sit pituita, eam sale suo fundit, acrimonia incidit, & excretioni præparat. Vnde inter hydragoga, & phlegmagoga purgantia vomitoriaq; recensemur, licet ejus in ptarmicis morsellisq; sit plurimus usus.

#### §. 5. *De*

§. 5. *De qualitatibus  
quartis Tabaci.*

**Q**ualitates quarti ordinis sunt ex quæ à portione ætherea, elementoq; stellarum, ut vocat Aristoteles 2. de gen. anim. c. 3. & forma substantiali trahunt originem, suntq; pretiosior simplicium pars & veluti dotalis naturæ annulus. Primo appropriatae certis quibusdam corporis partibus ad quas nativo impetu feruntur. Secundo alexipharmacicæ seu venenis oppositæ. Tertio sympatheticæ, & antipathicæ Quartò magicæ. Tabacum itaq; herba est cephalica ut patet experientia, & supra ex signaturis collegimus: thoracica insuper est, hinc miracula in affectionibus thoracis frigidioribus operatur. Spiritus vitales animalesq; foveat, calorem insitum conservat, humido radicalli amicum est, quapropter inter vulnerarias primæ dignitatis herbas debet recenseri.

Alexipharmacum est præsentissimum contra helleborum, vulneribus venenatis malignisque prodest, papaveris malignitatem reprimit.

Sympathiam habet cum aliis aromatibus,

tibus, & odoratis simplicibus, antipathiam cum rubigine ferri, & sulphure.

Ad magiam spectat naturalem, quod certa somnia ejus fumo inducantur si haurias affatim, ea de causa ab Indis adhibebatur ad oracula, & vaticinia: quod nisi superstitionem esset, ficeret herbam Mercurio sacram, iuxta Chymicorum placita: at cum saporem acutum, acrem stomachosumque habeat, adscribi debet Marti ex Campanella l. 5. medic. c. 3. art. 2. Verum isti planetarum specifici respectus medicæ sunt utilitatis, incertæque potius, & nunquam stantis curiositatis lenocinia quam solidæ veritatis adminicula: videnturque inventa ambitiosorum nominis quorundam, qui nugacitate pomparum plenissima ignariorum rudibusque philosophiarum imponere velle videntur.

*§. 6. In quo Purgantium ordine reponi debeat tabacum, & quam re corrigi?*

**C**ertum est tabacum debere recenseri inter phlegmagoga, ut diximus §. 4. hujus Excerc. verum cum in phlegmagogorum classe  
C tre

50 EXERCITATIO. III.

tres sint ordines, benignorum scilicet, fortium, & eorum qui furorem habent, aut violentiam venenositati conjunctam: (licet Mesue faciat duas tantum distinctiones) censeo primo, tabacum non esse reponendum inter benigna medicamenta purgantia; Ratio est quia nimis grave est, vomitum enim facit, & corpus sati conturbat si justa dosi hauriatur succus, ventriculum vellicat, cerebrumque turbat. Censeo secundo, non esse in serie medicamentorum furenum in quibus adest veneni portio, qualia sunt scammonia, colocynthis &c. ratio est quia hominis compaginat ionem non debilitate neque ulli principi parti multum adversatur si debitè exhibeat ur recteque præparatum, cerebro enim prodest, cordi, hepati, renibus, ventriculoque frigidioribus: atqui violenta tertij ordinis purgantia nocent semper alicui parti principi: ergo tabacum non est ijs numerandum.

Censeo tertio, tabacum debere ascribi secundo phlegmagogorum, & hydragogorum ordini, sequitur ex dictis probatur que, quia fortiter, & innoxie purgat, et si nauseosum sit conturbansque medicamentum, sed nullo tamen malignitatis reliquo vestigio: imo excitat appetitiam,

## DE TABACO

51

tiam, somnum facit optimum, & totius corporis œconomiam instaurat si justis propinetur momentis.

Quæres, cum Galenus pronuntiaverit omnia purgantia esse homini adversantia, ac proinde nulla exhibenda absque correctivo, quidnam corrigentis admisceri tabaco debeat? Resp. aromata esse opportuna, præsertim macim, caryophyllos, & cynamomum, his adde spicam nardi, rorem marinum, mastichem, styracem, & nauseæ mitigandæ oximel hispanicum, & lignum aloës.

## EXERCITATIO IV.

Quibus utendum aut abstinentendum sit Tabacum.

**I**N hac exercitatione designationis nostræ est in genere discutere quibusnam hominibus familiare tabacum esse possit, quod licet Medici ordinarij judicio definiri debeat, certa tamen quædam in genere possumus discutere quæ illi praxi potius profundunt quam officiunt. Tabaci autem familiaris usus intelligitur, ut vel illi fumo sæ-

52 EXERCITATIO IV.

pius utantur, ut quater aut quinques  
in mense, vel sirupo, conserva, pillu-  
lisve tabaci pro medicamento ordinario  
ad sanitatis conservationem. deinde vi-  
dendum an in alijs casibus quibus cæte-  
ra purgantia exhibentur, possit propina-  
ri pueris, vel gravidis mulieribus.

§. I. Usum tabaci non esse utilem bi-  
liosis, melancholicis, sicciorive cor-  
poris habitudine hominibus, nisi in  
certis quibusdam casibus.

**M** Ea propositio habet tres partes :  
*prima quod usus tabaci non sit*  
*utilis biliosis* : probatur, quia  
pituitam quæ est unum bilis frænum,  
exhaurit, hinc homo gravioribus à bile  
morbis subiacet : *secundò, quod melan-*  
*cholis non sit utile tabaco frequenter uti*,  
manifestum ideo est, quia tabacum non  
respicit humorem qui per indicationem  
tolli debet : *tertiò, hominis itidem siccis*  
*carnibus abstinere debent, ne magis exsic-*  
*centur.* Si tamen catharros è capite fri-  
gidos patientur, uti feliciter poterunt,  
sed ita quibusdam alijs contemperato, ut  
profit nec noceat, sicuti docebimus Ex-  
ercit.

ercit. 12. §. 8. quid autem possit tabacum contra lienis morbos quibus melancholi infestantur, dicemus Exercit. 14. §. 2. Neander pag. 45. nulla limitatione ita pronuntiat, *nescio an felicius, ac fidelius remedium ad hanc rem (catharrum scilicet à causa frigida) institui possit.* cui libenter in certis temperamentis subscribo, experientijs pluribus ita edoctus, non autem in omnibus complexionibus.

§. 2. *Corporibus præhumidis usum tabaci convenire.*

**A** Deo detrita est humani generis valetudo, ut in maxima Civitate vix unumquemlibet reperire sit, qui aliqua corporis parte non laboret. isti oculus, illi caput, alteri ventriculus, huic renes, vel alia pars imbecilla, ideoque frequens est medicamentorum usualium (ut vocant) apparatus; tabacum ut multi adhibent, ita medicorum consilio vix quisquam hactenus in istis saltem partibus; cum tamen pejora aliquanto evacuandis aquis pituitæque alvoque subdicendæ suadeantur. Nescio an ijs complexionibus quæ nimia phlegmatis colluvie obruuntur, præstantius quidpiam præscribi possit,

54 EXERCITATIO IV.

cum tabacum, ut diximus, moderate sumptum nulli parti principi noceat. Sunt autem ijs colore vel pallido, vel certè rubescenti cum aliqua plenitudine, & obesitate; ijs venæ reconditæ, oculi præhumidi, capilli nullis cincinnis inflexi, colore vel albiori aut ad nigrum prono, frequens sputum, mucusque, thorax amplus, corporis constitutio satis firma. Nostra autem assertio, quod ijs conveniat tabacum, satis paret ex eo quod illis imminent morbi à pituita, & putredine, quibus obviam it tabacum, ergo ut conserventur fani, eo tanquam præservante commodissimè utensur; sirupo scilicet, conserva, vaporibus, aqua, & alijs pro fidi medici consilio.

¶. 3. An pueris, & mulieribus gravidis exhiberi possit Tabacum?

**D**ico primò, usum familiarem tabaci pueris nullo modo convenire; quia scilicet humiditas illi ætati propria est, & tantum abest ut exfificantium usu sit vexanda, quin potius Hippocraculo contrarium jubetur. s. 1. aph. 16. Atque hanc meam conclusionem ad omnem omnino usum tabaci ordinarium

rium extendo, sive fumo sive pulvere aliave forma sumatur. Fumus enim ip-  
sis caput nativa humiditate exhauriat, &  
organa nondum robusta poterit debilia  
reddere.

Dico secundo, in certis casibus exhiberi posse tabacum pueris tanquam purgans, &  
vermibus infensum : haec conclusio patebit  
Exercit. 14. §. 2. num. 22. Dico tertio, si mu-  
lieri gravida exhibendum tabacum censea-  
tur, nunquam illud deglutiendum, sed vel ore  
detinendum, vel fumo contemperato hau-  
riendum ore expuendumque, quia scilicet  
vomitiones potest concitare, & agitatio-  
nes ex quibus foetui periculum immine-  
ret, quibusdam enim molestissimum est  
tabacum. Si tamen mulier assuevit, dari  
poterit, nam ut ait Hip. f. 2. aph. 50. Quæ  
ex multo tempore consueta etiam si deterio-  
ra, insuetis minus molesta esse solent. Con-  
suetudo est natura arte contracta.

§. 4. An Tabacum exigit corporis  
præparationem ut exhibeatur.

**N**olo hic in re notissima tempus  
terere probando humores esse  
præparandos ante pharmaci ex-  
hibitionem, id sexcentis in locis Gal. in

C 4 aph.

56 EXERCITATIO IV.

aph. & alibi Hipp. totaque medicorum schola personat, resque adeo vera, ut aph. 22. f. 1. Πέπονα φαρμακεύειν, &c. Concocta medicari, & movere non cruda oraculum vocaverit Gal. in comm. At urget alia difficultas quæ ex Gal. in methodo elicitur, si quidem vetat is ad remedia partibus appropriata devenire, quin prius universo corpori sit provisum, evacuatione scilicet primarum saltem viarum, quod rationi maxime consenteantur est: ut hanc itaque controvèrsiam dirimam,

Dico primò, tabacum non debere exhiberi in magna dosi, nisi præmittatur prius aliqualis corporis evacuatio, primarum saltem viarum.

Probatur ex dictis, & ulterius confirmatur, quia tabacum citius petit caput, & thoracem quam intestina, neque enim per venas mesaraicas primo illo impetu fertur, sed statim caput petit, quo evanescato, periculum est ne per consensum & concatenationem vasorum excrementiæ partes in intestinis sitæ venis explendis attrahantur: ergo tutius est præmittere corporis præparationem.

Dico tamen secundò, cum tabaci usus est tantum levis, & valetudinis conservandæ causa aliquantula portio sumitur, tunc

tunc non opus est præparatione ulla, si  
præsertim exhibeatur sirupus vel con-  
serva eruditè præparata. Probatur expes-  
rientia, & exemplo horum qui aloë  
sumunt. Et confirmatur, quia tunc vel  
ventriculo pituita exonerando, aut capiti  
catharro laboranti subveniendo ita exhi-  
betur in dosi moderata, ut præter sputa  
vix quidquam agat, & 12. vel 18. horis  
postea alvum semel subducatur, vnde cum  
in illa dosi nihil violenti moliatur, neq;  
sit adeo efficax, ut possit corporis cœco-  
nomiam intervertere, poterit exhiberi  
absque alia corporis præparatione, sicuti  
jejunis propinamus alia lenientia, aut  
præscribimus clysteres: cum enim taba-  
cum detur in exigua dosi, non transfit  
primas vias.

S. 5. Cautiones universales pro  
tabaci usu.

**N**Vllum remedium est quod mag-  
nificè profit, quin aliqua ratione  
noceat, vel ut ait Valesius l. 4.  
meth. c. 2. nihil est quod profit, quin aliqua  
ratione nocere possit: quare, si cui arridet  
tabacū, audiat hoc Platonis oraculū; Mag-  
ni auxilij purgatio à viro sanæ métis susci-  
piēda non est nisi summa urgente necessitate.

C 5. Neque

## 58 EXERCITATIO IV.

Neque itidem minima auxilia , nisi aliqua levis incidit necessitas , ut morbo medicina respondeat. *Qui multa agit cum cessare licet, stultus est*, ex Euripide. *Alimenta sanis , ægris medicamenta dari jubet sublimis Celsus* , quare absque necessitate nullus tabaci usum sibi faciet familiarem : purgatio enim sanas carnes habentibus molestissima est & pernicio-  
sa ex aph. 36. 37. se&t 1. excipimus ca-  
fus illos cum fami sitique tolerandæ usurpatur. Adde quod tabacum villos  
ventriculi molestia afficit si nihil eva-  
cuandum reperiatur, unde illius partis mo-  
lestia & debilitas sequitur : tantum dum  
enim damni sano ventriculo assert ta-  
bacum . quantum utilitatis pituita, fero-  
sitati que fluctuanti & obruto. Aut no-  
cet aut prodest, atque hæc est prima cau-  
tio ne in prospera valetudine adversæ  
præsidia consumantur.

Secunda Cautio est , si cui siccior est  
ventriculus , aut biliosus, tabaco absti-  
neat; hujusmodi enim ventriculis infen-  
sissimus est hostis, præsertim, si post cæ-  
nam statim aut prandium fumatur.

Tertia Cautio , si cui sanus est ventri-  
culus, caputque catharro laboret , folia  
masticet, vel fumum hauriat , nihil au-  
tem omnino deglutiat, sic enim parti af-  
fectæ

## DE TABACO.

59

fectæ commodus erit usus, & parti sanæ non molestus.

Quarta Cautio, ut quam rarissimè fieri potetit utatur tabaco, neque enim consuetudine infringenda est medicamenti vis, *ne postea urgente necessitate cogatur ad insolita facere mutationem*, ut ait Hip. 50. aph. f. 2. summa medicina raro uti medicina.

Quinta, si cui caput ita est delicatum, ut ne odores quidem ferat, & vino facile turbetur, ei tabaco interdicimus: omnne medicamentum bonum, sed non cuivis.

## EXERCITATIO V.

### Adversus Joannem Neandrum.

IO : Neander vir utique doctus, qui que ætatis ann. 28. typis suam tabacologiam vulgavit, Juvenisque fuit politioribus litteris non leviter imbutus, in philosophia medecinaque inter suos nominis non vulgaris, grandisque expectationis; his addo encomiis ornamentum ejus singulare, quod omnium pene Europæ linguarum, Græcæ, Lat-

C 6 næ,

60 EXERCITATIO V.

næ, Germanicæ, Anglicæ, Italicæ, Hispanicæ, Gallicæ, & Belgicæ intelligens fuerit, & quod majori laude dignum est, verecundo ingenio: ita ut vix ullum authorem absque honoris titulo adducat in medium: Nonnulla tamen scribit quæ mihi non arrident, quæ impugnare statui non contentionis amore, sed veritatis causa.

I. Pag. 17. Tabacum sitiferum est, mentemque turbat, & nœmæciav inducit.

II. Pag. 45. Ad memoriae quoque stabilitatem egregiè facit fumus naribus exceptus, peculiari enim ratione dicatus est cerebro, facileque in ejus sinus subvehitur, ac id ab omni inquinamento eluit.

III. Pag. 18 Semen Aquario, & Marti est dicatum, caliditatem præferens non exiguam, quam Marti fert acceptam.

IV. Pag. 35. Reddens rationem cur tabacum famem sedet. Scilicet assidua trochisorum masticatione pituitosos è cerebro humores elicente, quos succimelioris penuria in suum nutricatum convertit ventriculus.

V. Pag. 41. Spiritus à fumo tabaci immediate generari condit. à valido cato re cordis percoctum in spiritus substantiam abire profitemur.

VI. Non.

DE TABACO. 61

VI. Non nihil animadversionis in  
eius formulas medicas faciendum.

VII. Tandem de tabaci electione,  
& sophisticatione, de qua ille p. 241. ali-  
quid dicendum.

Tabacum auten sitiferum nullo mo-  
do esse, imo famem sitimque sedare  
ostendemus Exercit. 9. §. 1. quomodo  
mentem turbet, & ebrietatem inducat,  
videbimus. Exercit. 6. §. 4.

Quid faciat ad memoriam tabaci fu-  
mus, examinabitur Exercit. 6. §. 12.

Cur tabacum famem sedet, refutabi-  
mus Neandrum, adducemusque aliam  
doctrinam ipsi oppositam, quæq; etiam  
evincet, fumum non mutari in spiritus  
vitales Exercit. 9. §. 1. Præterea pag. 87.  
Tabacol. Neand. tabaci usum senibus  
prohibet quia nimis exsiccat. Restant  
ergo in hac Exercit. hæc pauca contra  
Neandrum; primò de ~~zepnCægi~~ quam  
inducit tabacum: secundò de relatione  
seminis tabaci cum Aquario, & Marte:  
tertiò de tabaco senibus exhibendo:  
quartò de Neandri formulis medicis:  
quintò de tabaci sophisticatione.

§. 1. *De Kaphbapia quam tabacum  
facit.*

**K**Aphbapia Galeno, & Dioscoridi, est capitis gravedo quam à tabaco fieri vult Neander. Certum quidem est tabacum quacunq; forma sumatur petere caput ibique omnes cerebri sinus lustrare, & emungere, verū gravedinem capitum nullo modo inducit, ut probavimus mille experientiis, quin potius si quis debiliori capite tabacum hausit, non gravedinem, sed debilitatem sentit, & quandam vagam molestiam, & experientiæ suffragatur ratio, tabacum enim caput exonerat, ergo non gravat. Adduceret fortasse Neander, tabacum esse soporiferum, quod conceditur, sed quem inducit soporem à gravedine capitum oriri negamus, ut probabitur Exercit. 6. §. 3.

§. 2. *De relatione, & analogia  
quam tabaci semen habet cum  
Aquario, & Marte.*

**T**Abacum plantam esse Marti dicatam, diximus superius, & conatus sumus probare, quod non tentaverat

verat Neander. At verò oritur hic dubitandi ratio, an semen tabaci sive ipsum tabacum inter signa Zodiaci agnoscat Aquarium. Primo quidem nullum est Martis, & Aquarii commercium, nam Martis domus principalis est Scorpius, minus principalis est Aries: secundo, exaltatio Martis est Capricornus, casus autem Cancer: tertio, tabacum inter plantas igneas debet recenseri ob acrimoniā, & aromatis participationem, Aquarius autem est triplicitatis aereæ, quo referuntur benignioris odoris flores, & herbæ suaves, ut rosæ, violæ, majorana, rosmarinus, flos caryophylli, &c. ergo tabacum nullam habet cum Aquario analogiam: quarto in Aquarij constellatione nullæ omnino sunt stellæ Martiæ, Aquarius enim stellis constat 42. quarum illæ quæ sunt in humeris, veste, & manu sinistra participant de Saturni, & Mercurij qualitatibus; quæ sunt in femoribus, habent dominium à proprietatibus Mercurij, & subdominium à Jove. In effuso latice stellæ sunt Saturninæ, & Joviales, ergo nullo fundamento adduxit Neander, tabacum referri ad Aquarium, quæ doctrina è puris Ptolomæi luminibus repetita est quadripl. I. c. 7. Imo l. 2. c. 10. *Aquarij signum*

## 64 EXERCITATIO V.

num generaliter frigidum est, & aquosum;  
quæ qualitates tabaco adversatur. Astrologia  
scientiarum Regina quod pau-  
cos habeat sui capaces, ab vanis quibus-  
dam hominibus ita malè accipitur, ut il-  
li audeant effutire quidlibet, rati nulos  
Deæ illius vindices inveniendos.

Dico itaque Tabacum referri debere  
Martii, ut probavimus superius §. 6. Exer-  
cit. 2. & adscribi debere principio Zodiaci  
sive Arieti. primò, quia Aries ex Ptole-  
mæo, & Alchibigio dominatur capiti, ut  
tabacum herba est cephalica : secundò,  
quia in Ariete plures sunt stellæ Martis  
naturam participantes : tertiò quia Mar-  
tis domus est Aries, quæ licet sit minus  
principalis, tamen in nostro climate plus  
rimi est momenti: quartò quia sub Arie-  
te seminatur satis feliciter tabacum, cer-  
tè transplantatio succedit. Adde quod  
Aries ijs provinciis ubi sponte nascitur  
tabacum, pene verticalis est, at quo magis  
radius siderum accedit ad perpendicularem, & verticalem, eo potentior ejus  
actio est in inferiora; ergo hoc etiam no-  
mine Arieti signo masculo potius, quam  
Aquario adscribi debuit tabacum.

§. 3. *Tabacum senibus exhiberi  
posse.*

**I**llud sanè præ oculis prudenti medico esse debet, nullam ætatem disquisitione majori leviorique manu tractandam quam senilem, ob virium naturæque deficientis prostrationem ; absumptum enim est humidum radicale, & spiritus infitus diffatus: hinc est quod maxima cautio in remediis pro senibus adhibenda sit.

*Dico tamen, cæteris consentientibus ap-  
positum esse senibus remedium præparatum  
legitimè tabacum.*

Probatur mea propositio, quia cum catharri in valde senibus coctionem non admittant, ut ait Hipp. aph. 42. f. 1. providendum ne distillatione cumulata suffocentur, ea ergo materia pituitosa sensim evacuanda, & pro generationis ejus momentis ejicienda, alioqui calorem jam debilem obruet; at qui vix ullum inventiri potest remedium quod melius catharros crudos eliciat quam tabacum, nam nulla interposita mora educit aquas & pituitam, neq; relinquit post se quidquam in corpore labefactatum; ergo tabacū remedium est senibus opportunū.

Solvit

## 66 EXERCITATIO V.

Solvit alvum, promovet sputa, & si legitimi præparatur nō excitat vomitiones datum præsertim in exigua dosi uti convenit, ergo satisfacit omnibus indicatiōnibus. Neque verò satis mirari possum medicorum hujus temporis nonullos qui tabacum spernunt, & senibus familiarem faciunt aloem, cum isti medicamento primarius scopus propositus sit evacuare bilem: & præterea hepati, sanguini, venosoque generi nocivum est ut probavit experimentis triginta annorum I. C. Scaliger, unoque pene ore fatentur iij qui de medicamentis scripsere. Obruit in senibus nativum calorem excrementitia humiditas quæ cum humido insito juncta extinguit vitæ scintillas ut ait Avicenna, ergo ad propagandam seni vitam medicamenta familiaria debent pituitam eijcere, quæ in capite tanquam in sua metropoli reperitur ex Hipp. l. de glandulis, tabacum autem herba cephalica, phlegmagoga, & spiritum insitum corroborans est, ergo senibus exhibenda.

Neque obstat esse siccum, senes autem siccii esse temperamenti, nam senes ut ait Gal. in lib. 5. de san. tuenda cap. 8. *in solidis partibus sunt siccii, humili autem in excrementis*: cibus enim iis malè digeritur, quare calor nativus humore adventitio

titio & extraneo extinguitur ex Avicen.  
l. i. Fen. i. doct. 3. c. 3.

Atque hisce rationibus inductus cum  
Illustrissimus Octavianus Picenardus  
Excellentissimi Senatus Mediolanensis  
Præses integerrimus ex catharro labora-  
ret, author fui ut illi materiæ subducen-  
dæ exhiberetur sirupus de tabaco quod  
ipsius complexioni circumstantijsque  
alijs appropriatum composui : nam  
octogenarius ille senex iuvenili pulsu  
erat, vitalis autem indicatio optima. Id  
unum videbatur faceſſere negotium  
~~quod nunquam ſpueret, neque ſpuere~~  
~~unquam potuerit ob muscularum lin-~~  
~~guam oſque moventium ſingularem~~  
~~dispositionem : cum ergo intercipi non~~  
~~poſſet, delabens in pectus fluxio quæ co-~~  
~~ctionem non admittebat juxta aph. 40.~~  
f. 2. subducendam per alvum medica-  
mento familiari manifestum erat : Quo  
nomine ſirupum præſcripsi quod vomi-  
tiones non facit, & insensibiliter humiditatem  
excrementitiam deducit ad infe-  
riora, hanc meam compositionem vides  
bis Exercit. 12. § 6. Tabacum ergo cæ-  
teris consentientibus si optimè præpa-  
retur, ſenibus eſt appositum : neque verò  
omnibus erit deglutiendum, ſed quibus-  
dam ore tantum detinendum ad ſputa  
pros

promovenda aliis alia forma profidi me-  
dici suasu.

§.4. De formis medicinalibus à Nean-  
dro in tabacologia congestis.

**P**lurimas hinc & inde formulas corrasit Neander, & sicubi inter alia multa vel Nicotianæ nomen adesset, sibi duxit transcribendas: qui la- bor meo quidem judicio inutilis est, neque instituto favens. Ratio est quia qui de aliquo simplici singulariter scribit, is ejus vires approbatas intendit manifestare, atqui in compositione aliqua ubi multiplex est basis, non est ratio cur uni potius quam alteri effectum tribuamus: ergo neque ab his de virtute medica- menti poterit quidpiam pronunciari: adde quod in multis minima portio est ta- bacina, ut ex.g. catapotia ad vertiginem sic prescribit. pag. 91.

2. Specierum hieræ pic.

Diambræ

Diagalang.

Diamarg. frig. ana. dr. β.

Sem. Nicotianæ

Agni casti ana. dr. 1. cūloch. rad. cico-  
rij fiant catapotia. Quis unquam dicat

ex

ex his pillulis aliquid de tabaco concludi posse: remota. n. sem. Nicotianę drachma, erūt optima ad id morbi genus: ergo nihil facit semen illud cuius insuper vires hactenus sunt incertæ. Sequens pillularum compositio ab ipso similiter adducta nihil habet de tabaco præterquam coagulum, quod mea sententia non expedit, quia periculum est ne simplex犀rupus stomachum vellicans promoteat pillularum rejectionem. Sunt autem istæ pag. 91.

2L. pill. hieræpicræ Gal. aggreg.

Agaric. trochisc. an. scrup. j.

Sir. tabaci q. s. fiant pillulæ.

expediret potius sumere succum rosimarini, vel mel ros. quibus idem effectus sublato tabaco tutò perciperetur: hæc est enim Regula generalis pro omnibus formulis medicinalibus.

Quotiescumque sublato uno ex ingredientibus medicinam manet sua medicinae vis, illud nulla ratione agebat, neque effectus illi adscribendus, atqui in his pillulis ita est, tolli enim potest tabacum manente medicina, ergo. Hæc pauca è multis delibasse sit satis. In medicamento quod vires debet probare alicujus simplicis, oportet ut illud simplex sit radix basisq; præcipua cui actio innititur.

Aliquæ

70 EXERCITATIO V.

Aliquæ formulæ sua laude sunt dignæ,  
diligentiaque Neandri commendanda  
in ijs colligendis.

§. 5. De delectu & sophisticatione  
Tabaci.

IO: Neander pag. 241. ait optimum ta= baci genus esse Virginiane; at sicuti, inquit, evanida est tabaci virtus ob seni= um, mercatores ne lucro fraudentur itare - stituunt.

2L. muriæ limonum  
Aceti, vini ana lib. 1. f.

Syrupi convenient.

Fol. tabaci dissolut. un. ij. coquantur ad dimidias.

in colaturam calentem, & fervori pro= ximam tabacum immitte, & mox con= glomeretur, fit enim ita ut diu conser= vetur; at, si tabacum adeo vitiatum est ut ignem recusat, hoc artificium græcè, & in aurem, ut ait, communicat. οὐς τὸν οὐρανόν δηκοτεν ἵπποις ἐυφορβούσι. β. καὶ εἰς αὐτὸν τὸ ταβάνιον οὐς τὸν πεψον ἐμβάλλε. Hæc tibi (inquit) serua. hoc pro maximo secreto ut videtur vo= luit

Iuit vendicare Neander, quod nullo scrupulo publici omnium latinorum juris faciam. *Ad supradictam(Receptam) ad de euphorbij drachmas duas, & in ipsam decoctionem tabacum immittet.* puto mendum in *δέκοντας*, sed sensus constat.

Et hac sane doctrina Neandri, superiorique de chylario, videre est, quam parum sincerum sit tabacum, quod ab Indijs ad nos defertur, magisque expedire uti nostro in nostris hortis sato, illi enim possumus fidere. Indico autem mille res inesse admixtas suspicabimur, salem, zingiber, vinum, piper, muriam limonum, acetum, euphorbium, quæ vires ejus, vel vitiant, vel corrumpunt. Nulla vis simplicium evanida restitui potest nisi virtute pari inducta, ut succo tabaci reparari potest aliquatenus exhaustum folium, quare non subscribo Neandro qui ita loquitur pag. 242. *Eadem evanida Nicotianæ vii quasi revocatur, renovatur, & restituitur in pristinum naturæ suæ statum, per hanc scilicet decoct, muriae limonum.*

EX-

## EXERCITATIO VI.

De fumo Tabaci.

**H**Aec tenus in generalibus quibusdam hæsimus, nunc autem ad eos modos omnes quibus tabacum adhibemus, facimus gradum, & cum celeberrima sit novaque ratio fumum tubulis hauriendi, de fumo tabaci prius est disputandum, deinde de pulvere, & sic sensim ad portum deveniemus.

§. I. *Origo prima usus fumi tabacini.*

**F**umi usum in medicina frequenter adhibitum apud Medicorum legislatores legimus: sic suffituum meminit *Hipp. in aph. s. 5. aph. 28. & s. 6. aph. 59. Gal. com. aph. 28. s. 5.* per uterum totum corpus suffiri posse pronuntiavit. *Avicenna lib. 2. can. tract. 2. cap. 247.* fumi usum naturamque explicat, commendatque in ulceribus oculi fumum thuris. *Alexander Trallianus ex comment. antiquissimi medici Magni suffimina ad tussim prescribit l. 6. Scythis*

Scythis fumum inebriantem fuisse familiarem testatur Alex. ab Alex. gen. dierum l. 3. c. 11. Idem de Thracibus Pomponius Mela l. 2. c. 2. Solinusq; c. 15. referunt. Herodotus Babylonios haurire fumum ad ebrietatem usque solitos testatur l. 1. hiantes fumum tussilaginis haurire jubet Dios. ad tussim sicciam l. 3. c. 117. & lib. 5. c. 73. sulphur (ait) gravitatem auditus, suffiti nidore raptim per fisiulam haustosanat. Plinius per arundinem trahi jubet l. 26. c. 6. quorum exemplo posset itidem magno morborum exterminio hauriri fumus feniculi, eufrasiæ, betonicæ, stœchadis, cinamomi ad oculorum capitisq; affectiones.

Nos verò usum tabaci tubo derivari repitivimus ab Americanis, qui in sacris primò, deinde indiscriminatim illo utebantur. Indorum enim nonnulli tabaci virium peritiores, dæmone instigante, aut famæ desiderio, lucrive cupiditate illius fumi beneficio se se Deo quodam corripi vulgaverunt: Sacrificuli quidem Deorum voluntatis explorabundi in hac quam fumo hausto patiebantur sensuum alienatione futura dixerunt à se clarissimè prævideri, qua propter ut fuit semper avida futuri mortalitas, præsentisq; negligens

## 74 EXERCITATIO. VI.

gens, huic mysterio, blandissimo scilicet errori, conciliavit autoritatem apud barbaros sanctissimam, si quidem adeo caligat extra fidei divinæ lumen humatum genus, ut cuicunque rei immisceas Dei nomen, statim superstitione tremore correpti sequantur plebis impetum, & in hac prædicendi facultate adeò tillatur hominis genius, ut si ad Dei naturam accederet. Primum quidem invocato Sole, quo Numine nullum Americanis sanctius, ita ut Yncas suos, seu Reges Solis filios dicant: deinde usu illius herbæ, certis quibusdam horis à crassis Astrologiæ rudimentis, qualia barbaris innotuisse cuivis facilie est suspicari, coram suis Idolis fumo inebriabantur pseudomystæ, deque rebus furoris responsa dabant, quare non mirum est maximæ venerationis eam divinitationem fuisse dignam: cum iis gradibus hominum animis imposuerit quibus magia apud Plinium l. 30. c. 1. Auctoritatem ei maximam fuisse nemo miretur: quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa in unā se rededit. Natā primū esse medicinā nemo dubitat: ac specie salutari irrepsisse ut altiore Sanctiore q; quam medicinā ita blandissimis desideratisq; promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiam num caligat humanum

genus, atque ut hoc quoque suggererit mis-  
cuisse artes mathematicas nullo non avido  
futura de se sciendi, utque ea è cælo veris-  
ime peti credente: Ita possessis hominum  
sensibus triplici vinculos in tantum fastigii  
adolevit, ut hodieque etiam in magna gen-  
tium parte prævaleat, & in oriente Re-  
gum Regibus imperet. hæc admirabilis  
Plinius. Quare si res ageretur momenti  
alicujus, Reguli quos Cazicos vocant adi-  
bant ad sacrificulum, quem Indigenæ  
proprio vocabulo Buhitum appellant, ex-  
ponebant, rogabant disertis verbis futu-  
rum rei eventum virtute Solis per taba-  
cum aperiret, & quid arcani fata sibi af-  
servarent fumi beneficio arbitraretur.

Unum tamen antequam vterius in  
istius historiæ narratione progrediar no-  
tatu dignissimum est: Omnibus vaticinii  
dotem affectantibus id fuisse familiare,  
ut œstro quodam corriperentur ante-  
quam futura evolverent; Ita Engastrurgi  
apud Cælium Rhod. Pythonissæ ex  
Martino Delrio, pueri magici ex Apuleio  
in apol. Sybillæ apud Eustathium, Sacri-  
ficii, Druides, Bacchantes, ipseq; Ma-  
hometes, vt passim videre est apud Phi-  
lostratum, Plutarchum, Lucianum, Vi-  
generum &c. quæ quidem mentis aliena-  
tio vel correptionis furorisque ratio

## 76 EXERCITATIO VI.

aut imitatio barbaris etiam est familia-  
rissima. Nam Floridæ, Virginiae, no-  
væq; Franciæ Barbari tympanis ma-  
gnoq; strepitu bacchantur dum tandem  
in somnū ruant, aut extra se positi quid-  
vis effutiant. Pariter Mexicanii Peruaniq;  
sacrificuli hausto tabaci fumo, coram  
Idolo, ut dixi, ad orientalem templi fa-  
ciem conversi, sopore altissimo correpp-  
ti ruebant in terram, ibiq; pro fumi  
quem hauserant quantitate jacebant ve-  
lut mortui, adstantibus interea maxima  
cum sollicitudine qui responsum ex-  
pectabant, diem integrum jacuisse som-  
no sepultos citra fidem dixit Benzon. l.  
1. c. 26. hist. novi orbis, vix enim 6. ho-  
ras detinet is fumus quantumvis hause-  
ris, his dormieniibus vel ex condicto a-  
derat Dæmon fallaciarum, mendacio-  
rum, & æquivocorum pater, vel for-  
tuitis deludebantur insomniis, quorum  
relatio in diversa sensa facile divisibilis,  
reddebat aliquam de futuro rei even-  
tu responsonen, sacrificulusq; cæteris  
plerumque ingeniosior, sive arti dif-  
fideret, sive sagacitate animi barbaris  
imponens, aut Dæmonis eruditus af-  
flatu, ea dabat responsa quæ Luciani  
Pseudomantem apprimè decerent:  
qualia scilicet fuere solemnia illa am-

phi-

phibologiis indistincta carmina , ipsa  
ambiguitate terorem & reverentiam  
incitante.

*Credo te Æacida Romanos vincere posse,  
Cræsus Halym fugiens magnam corrum-  
pet opum vim.*

&c. quæ videre est apud eruditissimum  
Plutharchū , aut id responsi genus edi-  
tum quale annotavit Dex Syriæ mystas  
finxisse laureatus asinus aureus l. 9,

*Ideo conjuncti terram proscindunt boves,  
Ut in futurum lœta germinent sata.*

Irrititi itaque dubiis verborum am-  
bagibus miseri , reverentia quam auge-  
ret timor , mystas suos prosequebantur ,  
rati ipsis etiam cogitationū arcana pa-  
tere , quod de anu Meroe timebat Ari-  
stomenes l. 1. metam Apul. Numinis sci-  
licet ministerio sermone suos ne illa cognoscea-  
ret. At cum non unicilibet sacerdo-  
tem consulere fas esset aut mercedis co-  
pia , cuivis tamen rerum suarum cura  
de futuro daret sciendi aliquam cupi-  
ditatem , plebei etiam privatq; fu-  
num tabaci ad id haurire sunt ausi . cu-  
jus deinde comperta vis familiarissimū  
ejus usum reddidit. Primo quod futura  
prænoscere gestirent. Secundo ut  
variis delectarentur insomniis quæ  
à tabaci ebrietate imaginationem  
demul-

## 78 EXERCITATIO VI.

demulcent. Tertiò ut reficerent vires.

Neander p. 44, ait Medicos Indorum  
hoc fumo usos, multa ægrotis responsa  
dedisse, sed id nuspam reperio: quod sub-  
jungit, *os interia tenebant ore quod mu-*  
*lieculæ tanquam reliquias conservabant.*  
errat in ejus ossis vnu exponendo, illi  
enim versuti homines partem male af-  
fectam exsugebant, inde fingebant at-  
tactum, modo os, modo lapillum,  
lignum, pilos, carunculam aliudq; hu-  
iusmodi, dicebantque ore eiiciendo,  
hanc fuissè morbi causam. *Ita Leriū*  
*in Brasilia, Iunæus in relat. novæ Frans-*  
*ciæ. Camplenus in hist. Floridæ, & No-*  
*væ Franciæ, & alii.* Citat tamen Ne-  
ander pro se Io: Metellum, quem videre  
mihi non licuit, utrum pro tota histo-  
ria, an pro una tantum circumstantia. Sed  
hoc est parvum momenti.

Fumi ergo tabacini usum ut pote su-  
perstitionibus immixtum abhorrebant  
initio Hispani, ut ait Franc. Lopez de  
Gomara in Hist. Ind. Occid. non nemo  
tamen Hispanus in augstiis itinerum  
deprehensus, omni deficiente annona,  
Indis suadentibus adhibuit; & cum  
optimum illius usum usum comperisset  
aliis ansam dedit spem tentandi: quare  
à nauticis hominibus castrensiq; turba  
adhiberi

## DE TABACO 79

adhiberi, primo ceptus & cum aureis potosii gazis Hispalim navigavit. vix enim nauta ullus suo tubulo carebat: Illum tamen morem omnium maximè in Europam invexere Angli postquam Virginiam detexissent, celebremq; illius usum fecit Franciscus Draek insignis saeculi superioris argonauta, qui omnium primus semen tabaci apportavit in Angliam, ut Thevetus de se jactat in Galliam, quamvis alii lo. Necotio eum primatum assignent. Post Anglos adhibuere Belgæ, Hollandiq; quod gentes ebrietate magis gauderent, sentirentq; à tabaco turbationem mentis supparem vino: secundò quod in navibus, & mari vivere assueti pituitam congererent, quæ ita evacuaretur: tertio quia somnum conciliabat brevem, profundum, reficientem si abunde sumeretur; sin parcè, reddebat ad excubias vigilantiores, quod nostri novere milites qui excubias longiores actus ri tabaci fumo se tantisper præmuniunt.

### §. 2. *De variis hauriendi fumum Tabaci ritibus.*

**I**NDOS cannula arundinea usos fuisse narrat Monardes, Neander tamen tubulos tres describit Indicos: Primum

D 4 lapideum

80 EXEXCITATIO VI.  
lapideum viridem; Secundū longitu-  
dine brachii ligneum interius incrusta-  
tum; Tertium etiam ligneum itidem  
tornatilem, secundo multo majorem  
longioremq;. Magnam præterea ait es-  
se in tubis illis varietatem, præsertim  
ubi Persarū propinquiores Indi luxu,  
& divitiis simplicitate excedeūt, pag.  
243. hic sanē, & multis aliis in locis  
mihi videtur Neander historiæ & Co-  
smographiæ parum peritus. Ut dum  
Virginiam vocat Insulam p. 41. Usum  
enim tabaci habuimus ab America, &  
si quid Indi orientales adhibent, dubio  
procul petierunt ab Europæanis, sicut  
etiam Persæ, ergo Neander male confundit Indos Occidentales cum Orien-  
talibus. Rē tamē adducit de Persis, que  
sive vera sit, sive fictitia, ingeniosa est.

Persarum ditiores, ut majori volup-  
tate fumum hauriant tabaci, inferunt  
tubum unum in phialam benè obturatā  
aqua semiplenam, & alio tubo fumum  
aqua contactu refrigeratum & indul-  
coratum hauriunt. Phialas tuborumq;  
effigies vide apud eundem Neandrum  
p. 253 v. 257. cum totius machinæ de-  
claratione. Inventum esse puto Hol-  
landicum, vel Anglicum, cui ad fa-  
mam datum est Persici nomen.

Primi autem omnium Angli coctiles  
confecere tubulos, & Europæ reli-  
quisq; orbis partibus fecere cōmunes,  
inter terum inventores recensendi.

Aliam rationem fumi hauriendi ad-  
ducere potuisset Neander, facto scili-  
cet siphone, qui ventre concavo an-  
gustoq; orificio fumo impleretur, ex vi-  
tro cōfrari deberet, is plenus fumo alte-  
rutto obturato foramine tāquā cerevi-  
siæ poculū absq; igne offerri posset hau-  
riēdus. De his satis, ad seria veniamus.

§. 3. Cur Tabaci fumus sit soporiferus.  
si copiose hauriatur.

**S**Omnum à vini potu ortum humi-  
ditati actuali vini tribui posse colli-  
gitur ex Arist. s. 3. prebl. i. 6. ubi vinum  
humidum vocat, licet Paulus l. 7. & Ga-  
lenus 8. de simpl. med. fac. siccum dicant,  
verum ipsem et Gal. opiniones hac di-  
stinctione conciliat com. ad aph. 5. s. 5.  
vinum (inquit) qualitate siccum est, sub-  
stantia humidum. at tabacum siccum est  
calidumq; neq; substantia ullo mo-  
do humidum. Auger difficultatem  
Avicennat. 2. l. 2. canon. c. 277. fu-  
mum omnem ait esse exsiccantem, &  
fumi substantia eidem Arabum  
medicorum sultano terrea est, sub-

## 82 EXERCITATIO. VI.

tilis, digestiva, resolutivaque, quæ omnia tantum abest ut somnum concilient, quin potius sopori è diametra sint contraria. Somnus enim ex Aristotele I. De somno, & vigil. c. 4. *conventus caloris intro, & naturalis quædam antiperasis, quæ fit ob ascensum humidatum, & corpulentorum.* Subscripsit in hac parte fidissimo Hippocrati plagiarius Aristoteles, ille enim sent. 14. s. 4. l. 6. *epid. ait, in somno calorem moveri foris intro, & Gal l. 3 de causis pulsuum,* somni causam constituit caloris redditum ad interiora destitutis calore suo sensoribus, quare frigiditate tanquam vinculo quodam, & impedimento ligantur sensus: Causa ergo efficiens somni est naturalis caloris motus ad interiora, materialis autem causa succus est, benignaque alimentorum irroratio, & vapor, qui cerebrum vigilia siccatum, & actionibus excalefactum recreat, siveq; calidum innatum in illo occupatum humido sensoriorum aditu arctatur; unde eleganter Paulus Aegineta l. 1. c. 97. somnum definit *Virium animalium quietem ex proficia humiditate cerebrum imbuente ortam ad vires reficiendas.*

Quæcum ita sint videtur paradoxum omni fide majus fumo calido siccoque; humectari

humectari refrigerariq; cerebrum ad somnum ita profundum conciliandum, ut qui in Indiis à tabaco obdormiscerent mortui pene viderentur, ex Monarde. Id quidem opio, hyosciamo, lolio, papavere, lactucæ succo, fungorum impurorum esu, aliisq; frigidis & narcoticis contingit: at siccis calidisq; rebus repleto capite vigilia contingit: quo modo igitur fumus tabaci erit soporiferus?

Ad hujus difficultatis enodationem,  
Suppono 1.

Somnum profundiorem, & ecstati-  
eū oriri ex quadam venarum præsertim jugulariū obstructione, qua calor ad partes inferiores detruditur, unde frigidius manet cerebrū, ab hepate enim spirituq; vitali incalescit, & proprio motu ab imaginatione violēta applicationeq; excito.

Suppono 2. quibusdam calidis induci somnum, ut vino ex Arist. lib. de somno c. 5. ubi respondet quæstioni, cur calida quædam sint somnifera. Galenus itidem 6. simpl. in anetho vim somniferam agnoscit, ideo certè quia oleaginosum vaporem cerebro gratum sursum mittit, qui occurrente regione frigida condensatur & frigescit, humidaq; sui portione cerebri substantiam demulcet: quod si nimius adsit hujusmodi vapor

## 84 EXERCITATIO VI.

modi vapor, reflexus, per vena sjugulares aliquam momentaneam obstructionem facit, stuporemque somno maritat, ita ut quasi apoplectici sine sensu & motu jaceant, ut ille Telephron pro mortuo vigil apud gratissimum Madaurensem l. 2. afini aurei.

Suppono 2. in quibusdam plantis dari vim narcoticam & soporiferam, quæ à primis qualitatibus nullo modo dependeat, cum frigidis æquè calidisque simplicibus inesse deprehendatur: abstrusa enim vi sensuum meatus subeunt, spiritusque animales ligant fascinantque. Sic inter frigida papaver, opium &c. somnifera sunt. Inter calida crocus ex *Avicenna* l. 2. can. t. c. 130. agnus castus, aloe, oleum, coriandrum &c. ex *Gal. Avic. Diosc. Mesue*, qui vinum novum itidem soporiferum dicit lib. 6. pract. part. 7. cap. 10. Mandragora, cuius calor Sennerto est compertus, licet plurimi frigidam dixerint, somnum morti simillimum inducit. Vis ergo somnifera non pendet à qualitatibus primis, sed potius ab insita mixtis proprietate, quæ in spiritu insito humidoque radicali plantæ figitur. Sive à forma substantiali, aut elemento stellarum suam repeatat originem: quibus ita suppositis,

Ref-

Respondeo ad quæstionem, fumo tabaci copiose hausto somnum induci profundum. Primi, quia fumus ad superiora capitis delatus refrigeratur, & ab impetu quo surfum ferebatur deorsum redit, sicque venas obstruit jugulares, quarum ligatio sensum adimit ex Aristotele, quo fit ut à tabaci fumo plurimo dormientes jaceant instar apoplecticorum, at cum sit mobilis fumus subtilisque, ideo somnus est brevis, longior enim à pertinaciori viscidiorique humiditate sequitur.

Secundū, quia oleaginosa sui substantia aromateque insito cerebri substaniam demulcet tabaci fumus, repletque caput, unde si quis erat in sensibus calor, intro fertur ad hunc oleaginosum vaporem discutiendum, sicq; destituti calore sensuum meatus ligati manent, in hac vero oleaginosa tabaci portione vis inest soporifera.

Tertiū, tabacum id habet peculiare ut pituitam attrahat è sinibus intimis cerebri, quare meatus sensuum eo humore perfundi necesse est: unde & somni conciliationem promovet.

Sin autem fumus minus copiosè hauriatur, tantum abest ut somnum proximet, quin potius reddat vigilatores, ratio est, quia tunc caput non replet,

86 EXERCITATIO. VI.

venis jugularibus non irrexit, & pituitam quæ in capite somnum promoveret discutit, & expurgat. unde milites tabaci fumo se se leviter aspergunt, ne in excubiis dormientes deprehendantur.

At Europa tabaco neverca est, America verò mater, ideo minor est nostratis, & Americanum huc ad nos delatum multum virtutis deperdidit: adde quod aliis mixturi est alteratum, ut videmus Exercit. I. §. 5. & Exercit. 5, §. 5. unde neque ita profundum somnum inducit, nec in aliis experimentis tantarum virium deprehenditur.

§. 4. *Cur fumus Tabaci inebriet.*

E Brietatem duplii de causa contingere colligimus ex Arist. s. 3. probl. capitis scilicet repletione, & ejus quod replet motu, quo fit ut agitantur tanquam à fluctu imagines, à vino enim detentis ait idem phil. s. 3. probl. 9. omnia videntur circumferri, & probl. 10. res una plures interdum repræsentat, quod fit à velociori motu fumi. & spirituum; sicut enim rotatus in orbem funiculus circulum exhibet ob motus velocitatem continuum, pariter ab organi motu interiori contingere necesse est, nihil enim interest, vt ait itidem

Ioc.

Ioc. cit. conspectus moveatur an res conspectui obvia, fit enim ratione utralibet, ut id quod modo dixi videatur. Haustus itaque tabaci fumus subit per os sis sphænoidis basim, & per Ethmoidis foramina aliasq; vias, quas doctissimum explicuit anatomiae vacans Medicus Hadrianus Falkenburgius ep. ad Neandrum, cerebri substantiam spongiæ instar trahentem, & halituum odoratorum præavidam pervadit. At cum fumus hic sursum feratur, ob levitatem enim debet supereminere, ideo agitur in cerebro, & suapte activitate ibidem circumfertur, quo contingit ebrietas in variis varia, quod de vino itidem annotavit Aristotel. s. 3. probl. 1. cuius sensus lectissima haec tenus ingenia plurimum vexavit. Hæc autem tabaci ebrietas differt à vini ebrietate, primò quia vinum capiti nocet ex Hipp. in aph. & Gal. c. 12. de Euchym. jecoris temperiem labefactat, sensibus, nervisq; infesta est vaporum copiâ, & substantiæ penetrantis ratione ex Avic. Fen. 3. l. 1. Addamus rationem à tartaro vini spiritibusq; mercurialibus, qui in plurimis vinorum generibus reperiuntur, repetitam. Contra autem tabaci ebrietas moderata suoq; tempore

## 88 EXERCITATIO VI.

reprocurata capiti prodest, nervis amica, & sensibus ; quidam tamen memoriam ea labefactari dixerunt. Neander juveni pronuntiat, qua de re vide §. 12. hujus Exercit. Quantas autem utilitates afferat moderatus, & quantas inmoderatus fumi usus dicemus §. 13.

§. 5. *Cur fumus tabaci varia insomnia excitet?*

**S**omnia per artem induci posse tristia jucundare, variis experimentis est compertum, idq; vel corporis situ, aut alimentorum ratione, corporisve affectu qui somnum non tollat, licet afficiat quadam tenus sensum. ita somniis terribitur variis, qui capite in occiput reclinato semisupino corpore dormierit ob meatuum flexus eo situ contortos vaporum cursum torquentes. Apul. metam l. i Næ merito, inquit, medici fiduci cibo, & crapula dislentos scæra & gratia somniare autumant. Fabæ ante somnum comedæ, lentes, phaseoli aliquæ cibi flatulenti, evaporabiles, fumosigne injucunda movent phantasmatæ. De amicis capiti herbis secus judicato. qua in parte optimè philosophatur Jo : Baptista Porta l. 2. magiae natural. cap. 35. neque tamen assumptis per

per os rebus, verum etiam temporum  
inunctione, suffumigio, voluptate, aut  
dolore dormienti illatis somniabit is  
majora omnia proportione quadam af-  
finia. Hip. l. de insomniis, ait *animum*  
*dormentis sui esse juris*, nec in multas par-  
tes distributum, unde & melius percipit in-  
teriora. Arist. cap. 1. de divinatione per  
somnum ex naturæ adytis oraculo ve-  
nerando totam hanc doctrinam sanxit.  
*Dicunt*, ait ille naturæ consultus, & me-  
dicorum peritissimi, quod oportet valde in-  
tendere somniis, conveniens autem sic exi-  
stimare, tum iis, qui per artem ea indu-  
cunt, tum qui circa ipsa philosophantur,  
& considerant: nam qui in die motus, nisi  
magni valde fuerint & fortes, latent: secus  
majores, qui in vigilando sunt motus.  
In dormiendo autem contrarium, etenim  
parvi magni videntur esse: manifestum est  
autem ex iis quæ somniis accident frequentes:  
arbitrantur enim fulgura cade-  
re, & tonitrua fieri cum parvus sonus in  
auribus sit, & melle & dulcibus saporibus  
perfrui minima pituita defluente, & am-  
bulare per ignem, & calefieri vehementer,  
cum parvus calor circa quasdam partes  
sit: cum autem expurgiscuntur, haec  
manifesta hoc modo se habere: quare quo-  
niam parva omnium principia, manifestum  
quod.

## 90 EXERCITATIO IV.

quod & aegitudinum & aliarum passionum, quae in corporibus debent fieri: manifestum ergo, quod necessarium haec in somnis esse evidenter magis, quam in vigilando. haec mirus Aristoteles. Ut itaque; aliis rebus conciliantur somnia, ita etiam tabaci fumo: cuius rei non ignari Americani inebriabant illo se se, & sopiebantur, ut umbratili spectaculorum voluptate frueretur,

Est autem somnium phantasma in somno imaginationem movens, ex Arist. c. 3. de insomniis. ubi ergo erit aliquid movens, ibi erit somniū; nihil autem facilius movet quam fumus, qui jam movetur, nihil benignius quam oleaginola familiarisq; nervis, & cerebro tabaci pars, ergo erunt gratissima à tabaci fumo somnia, si sobrius hauriat. turbida erunt si quid in stomacho residueat incocti, quia stomachi vapores deorsum reflexo occurrēt; unde necessario confundi omnia, & suscipi deqv; verti contrariis motibus intelligimus.

*In nube semper rideat aureo  
Pectus sereno: quo melius sacros  
Detque naturaeq; vultus  
Non dubiis imiterur umbris.*

Nullum ergo erit somnium si nimius sit vaporum ascensus, quod pueros somnia-  
re vetat, ex eodem Arist. loc. cit. vel cor-  
rum

rumpentur imagines si moderate conflusant vapores: unde celebrantur apud Artemid. matutina insomnia, quia vapores discussi, concoctæq; humiditates, accedente redeuntis solis afflatu caput serenius relinquunt, puriorq; sanguis commotus somnia ordinata reddit, & veluti in tabella depingit: quod quietarum aquarum exemplo explicuit Philosophus, & post illum redux Horatius<sup>1</sup>, Casimirus Sarbievius l. 4. ode. 31.

*Vides ut altum fluminis otium  
Rerum quieta ludit imagine,  
Solemq; lunamq; & sereno  
Picta refert simulacra cælo.*

Neque assumptotantum fumo, verum etiam si quis in cubiculo tabaci fumo scatente dormiat, variis pariter insomniis deludetur, vt si fumum ipsum hauisset. *Olaus Magnus* in septemtrionali historia refert Gothis familiare esse tuguria ex grandioribus cetorum ossibus construere, in quibus deinde cerevisia se se ingurgitent, verum contingit semper recentibus praefertim tuguriis, si intus dormiant, tempestates, fluctus, vortices, ventos, naufragia, aliaque scæva, quæ in mari contingunt somniare: cuius rei causas vide l. de atomis in calce c. 4. disputat. 2. *Democritus docens*. Diego Garzia

## 92 EXERCITATIO.

zia di Guerra in Indiæ orientalis aromatibus testis est; illis in partibus herbam nasci, quam *Bague* vocent India-ni; illa rebus odoriferis condita gratiissimi est saporis, & si cui Indo rapi in ecstasim placeat, visionibusq; frui, certo pondere illam conservam sumit: omni subinde privatur sensu, & stante medicamenti vi plurimum haurit voluptas: harum provinciarum Rex unus Sosæ proregi narravit, sibi ab hujus herbæ esu dormienti plurima regna, urbes superbissimas, loca q; omni amænitate decpta exhiberi: Solani radices celebrantur à *Dioscorde*, Ocyti folia à Græcis apud *Dalech.* l. 17. e. 5. Tabacum pariter ejus est virtutis, ut commoveat imaginationem, variisq; exercitatis simulachris quibus unicuique plenum est caput, somnia effingit, ad quæ attendentes Indiani de futuris rerum fortibus audebant pronuntiare, bellum suadere, vel pacem, prosperam vel infelicem expeditionem, & cætera tanquam è tripode prædicere.

S. 6. De Indorum divinatione  
per Tabacum.

In dis superstiosissima fuit hæc consuetudo ~~καπνού την~~ tabacina uti, & beneficio fumi res futuras explorare.

re. Imò eo insaniae venisse barbaros narrat Hariotus in Virginæ descriptione, ut suos Deos hoc fumo delectari existimantes fumo fana sua impleant, & sacris ignibus hostię loco tabaci pulverem injiciant ; & si navigantes tempestate periclitentur, ad tabaci pulverem tanquam ad sacram anchoram confugiunt, quo aquas aeremq; aspergant : Eodemq; ritu periculis quibusdam defuncti mimico gestu difsonaq; voce veluti gratias agentes Diis pulverem projiciunt in aere, tanquam sacram sui voti tabulam , at cum supra dixerimus, explorabundos esse futurorum fumi illius beneficio, videndum est quo fundamento id ab iis sit factitum. quod nullo modo explorari possit, quin altius somniorum naturam repetamus, digressione non injucenda.

Dividuntur ergo primo somnia in naturalia, artificiosa, & quæ causas agnoscunt superiores, quæ divisio est à causa efficiente. Sub artificiosis & præternaturalibus sunt sōnia à tabaco orta

Secundo, dividi possunt per caufam materialem in ea, quæ ob cogitata factave de die recurrent noctu, aut quæ ab humorum motu contingunt, aut à violenta animi perturbatione oriuntur.

## 94 EXERCITATIO. VI.

tur vel quibus occasio est extrinseca.

Tertia divisio per causam formalem  
impropriam est Macrobiil. I. in som-  
nium Scipionis c. 3. Is facit quinque  
somniorum genera: Somnium propriè  
dictum, oraculum, insomnium, phan-  
tasma, visionem, quæ à græcis propriis  
nominibus dicuntur *κρηματίσμος*, *εν-  
πνιον*, *φαντάσμα*, *όρνυμα*. Insomnium  
& phantasma nibil prædictionibus con-  
ferunt, cum ab animo fortuna aut per-  
bationibus oppresso nascantur, *quæ cura  
vigilantem torcit, eadem somno detentum  
vexat.*

Phantasma in primis vigiliæ somniq;  
inchoantis exordiis variis specie discre-  
pantibus imaginibus ludit, quo in ge-  
nere Ephialtem reponit profundissimus  
Macrobius. Oraculum dicitur cum san-  
cta gravisq; persona, aut Numen ali-  
quod denuntiat vel instruit: hic refer  
Geniorum monita, Deum Socratis,  
*Il messagiero di Torquato Tasso*, spectraq;  
aliquid nuntiantia: D. Augustinus dum  
Mediolani Rheticam profiteretur,  
adfuit somnianti in Africa amico, eiq;  
Ciceronis textum exposuit. D. Chriso-  
stomo adfistebat sæpe D. Paulus dormi-  
enti vigilante: Mihiq; narravit fa-  
miliarium unus aliquis præsentem sibi  
audivisse

audivisse aristotelem de Cometarum natura disceptantem. Quod ita contingere arbitror, ut somnians talem virum sibi repræsentans conetur etiam sensa autoritati & Idææ quam de illo habet, non imparia producere, hinc aliquando eas habent conceptiones quas non sibi, sed tanti viri aestimatione debent acceptas: hoc optimè noverat Epictetus sapientissimus, qui jubet mentem erigi ab aliquo gravi viro quem nobis imitandum proposamus, & tanquam præsentem audiamus, intueamur τοῦτο εστω τὸν αὐτὸν οὐσίαν τούτων σωκράτης καὶ ζενῶν. Ipse tibi proponito, quod in eare facturus fuisset Socrates, aut Zeno. Enchir. 5. Visio est cum quis videt aliquid quo modo post ea eveniet. Et his somniis plurima est Floridæ, Virginiae, novæq; Franciæ Barbaris fides.

Somnium propriè dictum habet aliquid in se reconditi, ambagibus enim, figurisq; res tegit futuras, ut per somnium de ovo sub lecto apud Gelium, thesaurum ibi delitescere ex argento auroq; consultus interpres respondit: hujus etiam naturæ est somnium Iuliani Imperatoris, de quo Oribasium consulit in ep., quæ incipit

## 98 EXERCITATIO V

*τῶν ὀνειράτων, &c. Somniorum duas portas divinus Homerusesse pronuntiat.*

Horum dantur species quinque, proprium de nobis, alienum de alio, commune de nobis alioque, publicum de civitate, corona, concione, generale de toto orbe, aut rebus ad universum spectantibus, ut sole, luna &c. His ita præsuppositis.

Indorum sacrificio res futuras tabaci beneficio explorati, potuerunt occurrere, vel forte fortuna, vel ope Dæmonis oracula, quæ ut diximus dubio sensu facilia explicatu de se, vel de alio consulentibus satisfacerent: hinc ortæ portentosæ illæ imagines quibus humano sanguine litabant; quod scilicet ea forma iis apparuisset spectrum, quod responsum dederat: neque id Americanis modo, aut Orientalibus Indis, quod annotavit clarissimus Mafejus, fuit particulare, idola pro apparitionum ratione sculpere, verum etiam hanc Religionis originem annotavit philosophus Poeta Lucretius l. 5.

*Egregias animo facies vigilante videbant,  
Et magis in somnis mirando corporis auctu.  
His igitur sensum tribuebant propterea  
quod*

Mem-

*Membra movere videbantur, vocesque  
superbas*

*Mittere pro facie præclara, & viribus  
amplis.*

Et dulcissimus Theophrastus in suis charact. c. 16. Superstitioni, inquit est, *καὶ οἱ οὐρανοὶ τὸν οὐρανὸν ἐπένθεται πολὺ<sup>τε</sup> τοῖς θεοῖς, & si viderit in domo visionem inibi facellum ædificare, quod sanctè fecerunt iis in locis antiqui patriarchæ legis naturalis consciī erectis aris factoque sacrificio ubi apparuerat Angelus, aut Deus.*

Ex hac consultatione eventuum somniantiumq; multitudine ita multiplicati miseri Dii, ut ad duo millia à solis Mexicacis adorata fuisse publico cultu testetur Franciscus Lopez de Gomara, præter privatorum domesticos Deos, vix enim erat ullus barbarorum cui non esset suus peculiari forma delineatus ex auro Deus.

At Europæani cum antea cernerent idola, ea exposcebant à Barbaris, qui sensu pietatis erga sua simulachra ductos rati libentissime donabant, nescii exposci metalli causa.

Sacrificuli autem in explicandis insoniis eo fuere versatores, quo sui characteres quibus scribebant. Ægypti sacras litteras redolerent, hieroglyphicis enim litterarum loco utebantur, teste eodem

## 98 EXERCITATIO VI.

Lopez de Gomara: at cum somniis, emblematib. ænigmatibus, hieroglyphicis, figuris, analogiis, ipsique sententiis cerei sint nasi, facile séper fuit in hac arte versatis fraudulentas ad invenire respon- siones quibus tuerentur se se, & curio- sitatem interrogantium demulcerent.

Visionē illis rāram nisi ope Dæmonis contigisse existimari: ratio est, quia vis illa solers qua homo pollet, ultroneo in- stinctus impetu se se prodit, si autem sol- licitetur abstrusa, & hebes manet, nullaq; arte quid mihi cras futurū sit somniabo, cum tamen s̄pius contigerit ea in sōm- nis percepisse, quæ sequenti die occur- rerunt ex condic̄to; Imò cum in ægroti defixus cogitatione dormiisse, sōm- nianti oblatum est opportunum reme- dium, quod mane adjudicī medici tru- tinam revocato, optimum censui exhi- buiq; felicissimo eventu. Id quidem Gal. accidisse itemque Hipocrati fidei tanto- rum virorum dubius legeram, sed meo experimento didici pronam ad aliquod munus naturam compendiosissimis viis assequi, quod alii invita Minerva vix un- quam obtinent, ut ait Ptol. centiloq. 4.

Verum cum ad responsum accipien- dum accederent Barbari, trementes du- bio procul, ut de consulentibus vatem

an-

annotavit gravissimus Epictetus Enchir. c. 39. ea tantum rogabant, in quibus vel ob ignorantem non poterant determinare se, & eligere, vel in iis casibus in quibus eventus à fortuna omnino de- penderet. Ita placebat Socrati ad oracu- lum accedere, ut ait Enchiridii animus cap. 39.

*Iis de rebus, quarum integra considera-  
tio refertur ad eventum, ubi, nec ra-  
tione, nec arte potest propositum exa-  
minari.*

At hæc Indorum divinatio, vel dæ- moniaca fuit, aut inutilis : quamquam enim sit ea Aristotelis de divinatione per somnum responsio, neque contempisse facile, naque suasum esse, nullam enim ra- tionalem videre causam fidem adimit, aliunde urgemur experientiis : deinde qui fumo tabaci sunt extra se positi propriis motibus non infestantur, sed longè à se dissiti motus extraneos maximè percipiunt, ut ait idem Aristoteles, adunata- que velut in punctum mentis acie circa ea quæ inhærent tunc menti, qualia sunt defixa animo, quæ sita melius haud dubiè augurantut, quod potius melan- cholicis acciderit benè conjectare obve- hementem imaginationem, & quod fa- cilius in una cogitatione defigantur.

## 100 EXERCITATIO VI.

Sacrificulique in hyeroglyphicis peritiores addita melancholia, qnam continuus tabaci usus augebat ob exsiccationem, aptissimi erant ad id munus, ratio est quia similitudines magis inspiciebant, & in figuris versati imaginum sensa acutius expromebant. Quæ doctrina ab Aristotele repetita est *l. i. divinatione per somnum c. i. & ultimo*. In eo tamen dominantur à Philosophis Indi, quod scilicet naturam ad aliquid singulare & determinatum cogerent. Si enim quidquam naturæ impetu præfigimus in sonno, contingit id vel fortuita imaginum occurfatione, aut sympathia, antipathia, influxibus siderum, qui simulca in capite nostro posita movent, aut fit instinctu cui Genius præsidet, si quem tamen habemus à natura, quod volebant *Socrates, Plato, Apuleius, Cebes, Epictetus, Plotinus, Iamblichus, Pythagoras, Anaximenes, Trismegistus, &c.* Vel quod mihi magis arridet violento motu imaginationis, quæ de se alienisq; rebus follicita nonnunquam rem, ut adjunt, acu tangit. Humorum commotio, perturbationum animi vis, & aliquis cogitationum æstus sunt aliæ caufæ somniorum: Divina enim Angelicave, utpote facrioris disciplinæ non attingo.

Unum

Unum est, quod monendum duco, somniorum à tabaci fumis commotorum observationem parum prosicuam esse Medico, nam ob fumum adscitiosq; motus de corporis temperie vix possimus quidquam definire, quod tamē legitimis naturalibusq;ne somniis fieri docuerunt Gal. mille in locis. Hipp. ex profess. sol. de insomniis, Aristotel. l. divinat. per somnum c. i. nam (inquit ille) ex peritissimorum medicorum oraculo oportet valde intendere somniis. Potuisset Aristoteles citare & reddere suum Hippoc. nostro, sed ipfi familiaris fuit plagiatus animadversus à Plinio in præf. ad Vespafianum, qui dum authores conferret inventos, ait, à se veteres à recentioribus quibusdam transcriptos ad verbum neque nominatos. Obnoxii profecto animi, & infelicitis ingenii est, deprehendi in farto malle, quam mutuum reddere. Quotidianis experimentis notū est, quam delicata ex somniis de ægroto possint fieri judicia. Narrabat mihi Dominus doctor Thomas Turrianus discipulus tunc Ticini meus, sibi per plures noctes visū fuisse crus suum lapidescere. Monui illuc congeri humorem frigidū, foreq; ut mole postea sensibili se se promeret, quod octo postea diebus factum: parvi motus in somno magni videtur, suntq; morborum principia parva. Arist. loc. cit.

§. 7. Cur Tabaci fumus ebrietatem  
à vino reprimat?

**Q**ui crapulæ indulgent, gulæ causa, & dolori capitis prævertendo cum vino madent tabacum sumunt ex tubulo usque dum sopiantur: ita n. fit, ut vini ebrietatem superent tabaci ebrietate: meatus enim cerebri occupantur fumo, unde, & vini vapores capite toto arcentur: Secundo, quia cum aquositates expurget, fit ut si quis vapor sursum delatus mutetur in aquam ob frigiditatem illius parenchy: matis prolicitur confessim, unde nullæ fiunt distillationes. Et hoc tabaci adminiculum ebrietati à vino refringendæ tanto felicius est quo caput est validius, nam qui sunt forti capite tardius à vino corripiuntur ex *Avic.* l. 1. *Can.* *Fen.* 3. *doct.* 2. c. 8. eoque intervallo, quod inter haustum vinum, & corrēptam mentem interiacet præmuniti possunt tabaci fumo. Adde quod cum vinum dilutum citius inebriet ex *Aristot.* s. 3. *probl.* 3. sintque in quovis vino quantumvis defæcato plurimæ aquositates, tabacum innata sibi vi eas disgregat, & ejicit, unde vinum capiti quidem

dem parcet, sed gravius periculum hepatis imminebit si jam calidius sit, ut plurimis Bacchi cultoribus contingit.

Diceret hic aliquis occultam tabaci vim esse qua ebrietatem & vinolentiam reprimit, ut cymimum, caules, amygdalæ amaræ excorticatæ ex *Avicen.* absynthium ex *Diosc.* Succus granatum acrum ex *Mes.* & *Avic.* quia incidit vinoque faciliorem dat transitum, sed satis superque ex caufis à me adductis res plana est: Vanumque censeo, & imbecillis ingenii ad occultas confugere causas, cum apertæ assignari possunt.

Maximo valetudinis detimento post cibum fumus adhibetur, nisi hauriatur ita abunde, ut hominem temulentum, & sopitum reddat: Sic enim caput tuebitur ne ventriculi vaporibus infestetur: & crapula, vel abstine tabaco, aut copiosius hauri.

### § 8. *Cur pituitam è capite subducat tabaci fumus?*

Fumus ob levitatem suam supereminet, unde capit is partem maxime elevatam petit, quæ duobus syncipitis offi-

E 4 bus

## 104 EXERCITATIO VI.

bus subiacet : illic quintuplici ratione agit , primò extrusione , secundò incisis humoribus crassis si qui adsunt , tertio qualitatibus contrariis , quartò virtute tabaco insita expurgandi pituitam , quinto vi expulsive corroborata .

I. Tabacum ea proportione , quæ ipsū inter cephalicas herbas reponit , capitiamicū est , illic itaq ; multo promptius agiliusq ; fumi habitudine , quā alia ratione magis crassa prorepit : conglobatus ergo in cerebri meatibus fumi certus quispiā ad agendū quantitatis gradus motu extrusionis sursum impellitur ; hunc quidē motum ab Arist. *in lib. de cælo* impugnari scio : at ut ad omnimodos motus explicandos non sufficit , ita ad aliquos admitti debet ex mechanicis omnibus . Est autem extrusio . *Actio gravis levius sursum impellantis* , nam ut ait Id. 4. cæli t. 26. grave est , quod omnibus subsidet , leve quod supereminet , necesse igitur supereminebit fumus ipso pituitæ , ac proinde subsidebit pituita versus partes inferiores ubi sunt meatus excretioni dicati , sive ad nasi emunctoria , sive ad ossis cribiformis substratū cerebro cælum , quod mille foraminibus tanquam stellulis pervium est .

II. Incidit insuper crassos viscidosque humores fumus , quia subtilis est , subtile enim ex Arist. 3. cæli t. 43. quod parvarum

est partium, quod autem extensum est multū  
subtile est, tale autem est quod parvis parti-  
bus constat, quare ipsis accidit parvitate di-  
videre aliorum substantiam: at nihil fumo  
extensis subtiliusve, ergo concurretib.  
aliis reconditis tabaci qualitatib. sale in-  
super quo abundat, qui etiam incidit, &  
acredine sua partes diluit, humidumque  
absumit, explicatum manet cur etiam  
hoc nomine pituitam subducat è capite.

III. Cum qualitatum contrarietas in eo  
sita sit, ut se se mutuò ab eodem expellat  
subjecto, necessarium est tabacum calidū  
& siccum cerebro temperiem inducere  
pituitę summopere adversantem, ac pro-  
inde addita vi tabaci expurgante separa-  
bitur ab aliorum humorū massa humor  
aqueus, qui postea egeretur, nam ut ait  
Medicinae Genius Hip. l. de vet. med. Im-  
perimixti humores neque conspicui sunt, negat  
homini molesti, at verò aliquo ex his sedato,  
& ab aliis deposito molestia afficitur homo,  
humorq; cōspicuus est: molestia verò expul-  
tricem virtutem sollicitari colligimus  
ex Gal. l. 6. de valet. iuenda, elicitor ergo  
pituita è capite ob hanc separationem, &  
lenem molestiam, adde quod impleto fu-  
mis densis cerebro ejus substantiam cō-  
primi necesse est, compressione autem  
adjuvari excretionē sanxit princeps Avi-  
cenna l. 1. Fen. 1. doct. 6. c. 3. E 5

IV. Multo id efficacius fit quo promptior ex abditis naturæ stimulis vis tabaco insita est expurgandi pituitam, & quamvis frigidissima hominis pars sit cerebrum ex Celso, cuique subsit exigua vis concoquendi, & à potentia ad actum revocandi mixtorum qualitates, nihilominus facili negotio exiguus etiam virtutis concoctrice impetus, quæ ut in singulis est membris, ita in cerebro non desideratur, aggreditur fumum, qui vix quidquam ob sui tenuitatem resistit, & facta ulteriori dissipacione partium, illi concedit activitatem.

V. Medicamenta excretioni dicata nihil omnino possunt agere absque auxilio virtutis expultricis, quæ quò validior est, tanto majorem illis actionem tribuit. Tabaco autem dupli ratione corroboratur, primo vi adstringente quæ pollet, nam fibræ transversæ per quas fit expulsio mollitie nimia flaccescunt instar arcus remissi, modica verò adstringente excretionem promovent: deinde ipso cerebri parenchymate recreato, & aromatica tabaci portione lustrato melius aliquanto vegetiusque molesta sibi excrementa pituitosa effunduntur.

Adde

Adde hoc fumo palatum & linguam exsiccari, quare ad illius dilutionem & humiditatem reparandam pituita prolicitur ab infundibulo cerebri, à glandibus linguae adiacentibus, imo & ab ipso ventriculo, quare ob salivam, mucum, aquositatem, serositatemque illuc confluentem totum corpus aliquatenus sublevatur.

Quæ sex rationes cum omnes in tabaci fumo concurrant, fatendum est æquè potens ac benignum esse exsiccando cerebro medicamentum: benignum dico, quia scilicet non potest hærere diu, cum sub fumi substantia hauriatur, qua nihil facilius dissipatur, nihil leviores impetus facit ob raritatem. Crediderim ad prudentiam moderatum hujus fumi usum conferre si verum est sapientissimi Pythagoræ affatum: *Prudentia est in siccо:* cerebrum autem tabaci fumo siccius redditur. Senes prudentiores quia sicciori cerebro, pueri juvenesque imprudentes ob humiditatem.

§. 9. *An lassitudinem tollat vi-  
resque reficiat tabaci fumus,  
& quomodo?*

**L**Assitudinis quæ nihil est aliud quam motus voluntarii, seu animalis imminutio, & debilitas, duplex origo est; altera enim ab organi oppressione, humoribusque gravantibus fit, altera ab exhausto viscido illo quod motu muscularum expedit, sive id laboribus sive contigerit inedia, dissipatis nimio exercitio aut non reparatis spiritibus. Primum lassitudinis genus vocat spontaneum Dictatur summus Hippocrates aph. 5. s. 2. morbi que prænuntium asserit,

Si prima lassitudo oriatur à pituitosis humoribus, illi equidem tabacum conferet si tempore modoque sumatur: at de lassitudine à laboribus orta hic sermo est, vires reficere, non tabaco modo verum etiam coccæ herbæ proprium esse dicunt Monardes, & Dalech. l. 18. c. penult.

*Dico autem tabaco vires refici, primo quia somnum inducit paucis horis utilissimum: secundo quia cerebro nervis que*

que inde ortis amicissimam habet portionem, in cerebro autem nervorum ortum statuimus cum Galeno pluribus in locis, ut. 1 2. 7. de placitis Hipp. & Platonis l. 1. 12. 16. de usu partium. Cum Hipp. l. de ossium naturâ, & Medicorum universâ factione, si excipis Avicennam, Erasistratum, aristotelem.

I. Somno vires reparari eleganter dixit Fernelius l. 5 de part. morb. & sympto c. 2. tabaci quidem somnus, et si naturalis non sit, cum tamen causam non habeat morbificam, vires maximè reficit, nam qui labor 12. horarū spatium ad virium reparationem à natura exigeret, tabaci fumo tribus horis abundè reparatur; quia arctior est somnus profundiorq; naturali concentratioq; caloris fit climatior, unde & probatur magis à Gal. c. 4. l. 4. de sanxit. tuenda: intensio itaque extensionem supplet, deinde balsami particeps aromatisque tabacum non in cerebro solum hæret, verum etiam per medullam spinalem illapsa nervos motui dicatos demulcit: totumque nervosum genus recreat plurimum, hinc sensus acuit, & motum reddit expeditiorem, deducta illuc si opus sit ab aliis partibus humida irroratione, humidoque sibi insito illis spiritus animalis ductibus cōmunicato.

Adde

## 110 EXERCITATIO VI.

Adde quod concentrato per somnum altiorem calore natura spirituum animalium copiam præparat illosque magis elaboratos partibus transmittit.

Neque verò dicas cum Neandro ipsum tabaci fumum in spiritum vitalem converti: nam cum unica spiritus vitalis officina sit cor, & illuc fumus non derivetur, negabimus immutari in spiritum vitalem, deinde licet ad cor deferretur sic contra Neandrum argumentor: Non fit in corpore humano transmutatio & generatio, nisi habeatur proxima & immediata materia, atqui proxima & immediata materia spirituum vitalium est sanguis, non autem fumus, ergo è fumo non fiunt spiritus vitales.

Hujus materiæ gratia addam quod tefert Monardes l. 1. *aromat.* Ind. Turcas scilicet Americanosque aliquos ut vires reficiant, opio uti, & cum nobis decem opii grana sint lethifera, illi ad naturæ ludibrium consuetudine longa corroborati unciam j. & amplius non impune modo, verum & ad naturæ levamen devorant.

§. 10. De

§. 10. De magni Turcarum Domini  
edicto circa tabaci usum, an  
scilicet ejus fumus noceat  
fæcunditati?

O Rientalis imperii Tyrannus Amurathes i v. edicto, gentis more fere semper capitali, cavit, ne quisquam fumo tabaci uteretur: rationemque suæ legi subtexuit, quia prolis multiplicationem impeditbat, cuius magnam à principe rationem haberi jussit in alchore rano mahometes, teste Vigenero in lb. ritibus legibusq; Turcarum. Explorantes enim Turcæ seductoris sui mentem de vetito vini usu, invenerunt ideo factam sibi legem, quia in calidioribus Arabiæ, Asiacque meridionalis provinciis, vinum fæcunditati apprimè noceret, quibus in locis primum hic infaustus orbi, exitialisque toti orienti cometes facti sus afflavit. Favetque ipsis aliquatenus aristotel. l. 3. probl. 4. ubi quærit, cur semen genitale ebriosorum magna ex parte infæcundum? Vini ergo ebrietati succedentem conspicatus tabaci ebrietatem, quæ incendium cædesque multas Constantinopoli creavit, si quidem ante aliquot

## 112 EXERCITATIO VI.

quot lustra Prætoriorum militum quidam fumo ebrii subditis tabernæ facibus cauponaq; accensa principium dederunt incendio, quod tertiam urbis partem deformavit. Adde, quod percitæ hoc fumi æstro Prætorianorum turmę proniori ad nova molienda sunt mente, audentque titubati ratiocinio seditiones urgere, quibus vel ipse Monarcha periclitatur, quod historia cothurno dignissima docuit año 1618. Mustapha, & Osmanus ejus nepos an. 1622. Promovit id edictum suorum rituum antistes summus quem Mophti dicunt; Is enim medicorum rationibus, & politicorum momentis superstitionis stimulos admovit, omnem omnino vetari afferens ebrietatem.

Verum enim vero si liceat conjicere quis fuerit scopus Turcarum Tyranno, ut hanc legem statueret, quibusve incentivis commotus eam sub gravi adeo terrore sanxerit, ut nihil minus, quam defigendum palo reum sit comminatus (supplicii genus est quo sude hominem, ab imo ad caput transfigunt) Crediderim barbarum Imperatorem suæ securitati potius, quam legis observationi providisse, & hanc ebrietatis vetitę mentionem fœcunditatisque deciduum, fucos esse coercendis suorum suorum furibus

bus appositos. Verum, sive prætextuerit  
fuis designationib. Amurathes, sive sen-  
sum suum in eo sit secutus, digna est, que  
ad philosophicam trutinam revocetur,  
*An scilicet tabaci fumus fæcunditati noceat?*

Aristoteles quærit cur ebriorum semē  
sit infæcundum? causamque subdit, quæ  
apud me non est adæquata: scilicet tunc  
temporis habitum corporis esse præhu-  
midum, semen autem non quod humi-  
dum, sed crassum est, vim procreandi ob-  
tinet. Existimari potius ebriorum se-  
men esse infæcundum, quia frigidius est,  
quam par sit: naturalis enim calor spiri-  
tusq; dispensatio prius individuo, quam  
speciei providet, ergo cum ventriculus  
maxima vini copia sit distentus, illuc na-  
tura maximam spirituum calorisque co-  
piam extremis calore supervacuo desti-  
tutis submittit, hinc nobis à cibo frigus:  
erit itaque tunc genitalibus calor exi-  
guus, cum ex ipso arist. *probl. I I. hujus s.*  
*3.* qui nimiis poculis se se ingurgitarunt  
non possunt concubere. Adde quod  
verum non est absolutè ebriorum semen  
esse infæcundum, ut patet ex hist. Sacra  
Lot. *Gen. 19.*

Ad fæcunditatem respectu viri  
præter organa requiruntur, primò, se-  
minis concoctio & copia; secundo tem-  
peries

## 114 EXERCITATIO VI.

peries debita; tertio animi perturbatio-  
num moderatio ex *Avicen.l. 3. can fen.*  
*21. tract. 1. c. 8.* additque capit is dolores  
tanquam sterilitatis causam. Hippocra-  
tis *l. de aëre, aq. & locis* § *1. de Scythis*  
loquens, qui venas sibi ad aures seca-  
ri jubebant in coxendicum articulo-  
rumque affectibus à nimia equitatione  
ortis; ignota enim antiquitati stapedum  
equestrium ratio, quæ à Flandricis  
primò, deinde sub Caroli Martelli prin-  
cipatu in Galliis cepit adhiberi: viden-  
tur mihi, inquit divinus senex, ea medi-  
catione se se perdere, nam à venarum illa-  
rum sectione sterilitas sequitur. Subjungit-  
que hujus rei exprimenta, iij enim quibus  
exsectæ erant venæ, curatos se credebant,  
aut fascinatos, quare à virili dignitate ad  
muliebrium officiorum humilitatem se  
se spontanea pudoris professione demit-  
tebant. Lib. tamen de genitura, quam Po-  
lybi esse dubitat Gal. *t. 3.* quibusunque,  
inquit, auris venæ sectæ sunt, hi coeunt  
quidem, & genitram emittunt. ve-  
rum modicam, debilem, infæcundam, nam  
plurima genitrapars à capite juxta aures  
in spinalem medullam procedit, ipse autem  
transitus cicatrice sectioni inducta consoli-  
datus est: hancq; Hipp. de seminis deriva-  
tione sententiam paucissimi hujus etatis  
medi-

medici adorabunt, Laurentius certè Scytharum sterilitatem contra Hippoc. proununtiatum doctè, & eleganter more suo explic 8.q.4. controv. anat. his ita positis factaq; thesi veniamus ad hypothesim.

*Dico primo, tabaci fumus non reddit steriles, quod impotentes faciat; imò ratione exsiccationis reddit falaciores, ut patet experientia.*

*Dico secundo, tabaci fumus non reddit infæcundos, quod semen frigidius humidiusve faciat, quod de ebriis voluit Aristotel. quin potuis, eo quod spiritus animales expurget, eos puriores submissistrabit, ex quo semē crassius calidiusq; erit: nam crassities seminis à spuma frequenti spiritu plena oritur ex Arist. in l. de gen. animal. calor autem ex abundantanti spiritu.*

*Dico tertio, tabacum non reddit infæcundum coitum, quod gravia animi inducat pathemata, curas graves, aut imagines vexantes excitet, cum è contra somnum, & tranquillitatem conciliet: neque pariter dolorem capiti infert, quin potius tollit si quis est à pituita.*

*Dico quarto, tabaci fumus non reddit steriles, quod venas retro aures sitas exsiccat: id enim verò nunquam hactenus contigit, neque tanta est tabaco exsiccandi vis.*

## 116 EXERCITATIO VII.

*Dico quinto, Immoderatus tabacini fumi usus potest coitum reddere infæcundum, tum quia evacuationem facit satis grandem, tum quia semen non sinit excoqui.*

Probatur prima ratio. Post evacuationem nimiam coitum non modo sterilem esse, verum etiam aliquando lethalem dixit Rodericus à Castro *l. 3. de morb. mul. cap. 5.* quare, vel vulnerati multo sanguine effuso, aut medicamento purgante epoto non impune concumbunt. Vir nobilissimus vulnere levi in crure accepto cum nulla dubitatione periculo careret, ut citius sanaretur medici prudentis laudando consilio purgans medicamentum sumpsit benignissimum, febri carebat, ambulabat per cubiculum baculo innixus, sed ea nocte, quæ purgationis diem secuta est, conjugem vigoris sibi restituti conscientiam facere voluit, sequentique die convulsione fuit correptus, ex qua sub vesperam objit, non ex aph. *convulsio à vulnera lethalis*, sed potius, quia post insignes adeo sanguinis humorumque evacuationes à coitu sibi non temperasset. Cum ergo ex magna hausti fumi quantitate insignis pituitæ evacuatione motusque fiat, posthac sterilem concubitum fore non dubitamus.

PROS

Probatur secunda ratio. Nimius tabaci fumus facit immaturum semen, quia sua acredine siccitateque & calore stimulat ad coitum frequentiorem, unde semini elaborando tempus non est. Semen verò immaturum sterile esse, vel certè brevioris vitæ fætus producere, eleganter insinuat Arist. l. 7. polit. c. 16. & confirmat oraculo Træzenis dato : *perire ex ijs multos propter celerem fructuum collectionem, juvenili scilicet, & adolescente etate, quæ fructus sunt civitatum nuptiis immaturis dati.*

Confirmatur, quia ex immodico illius fumi usu, qualis à castrensi turba plebeq; imperare sibi nescia adhibetur, à duabus feminis portionibus, altera aquæ & spumosa, altera aërea: illa dissipabitur, hæc intensior fiet: quæ doctrina nititur auctoritate Aristotelis l. 2. de gen. ani. c. 2. & alibi: auth. Hip. l. de genit. c. 9. qui ait à malè affecto uno è quatuor humidis primis corporibus malè affici semen, ergo malè affecta exhaustaque nimio fumo pituita semen erit imperfectius. Assentitur Galenus contra Lycum, & comm. 1. in lib. Hipp. de natura humana c. 11.

Verum, qui noverit tabaco modum ponere, tantum abest ut sterilis fiat, quin potius compendium erit præparando incras-

118 EXERCITATIO VI.

increasandoque semini ad id ut conceptu felici mares generentur.

Immoderatus itaque tabacini fumi usus steriles, aut certè δυσγενή τοπας redet : moderatus autem ingens totius corporis œconomiæ afferet emolumen-  
tum si adhibetur prudenter: huic libro præfixi jure merito hoc sapienitis effa-  
tum μεδεύ αγαίν, nihil nimis.

§ 2. De Iacobi Britaniæ Regis odio erga tabacum.

Iacobus V I. magnæ Britaniæ Rex in aliam venit suspicionem, fumo ener- vari subditorum suorum corpora, hinc manifesto illud odio prosecutus dicitur, libellumque etiam scripsisse, cui μισθωτόν, sive odium fumi titulum fecit, ut quondam Imperator Julianus philo- phica barba gaudens dicteriis ab Alex- andrinis in Ægypto exceptus publicè, quamvis ejus esset authoritatis qua potuisse abuti ad ultionem, verbis ultus est, & adversus Alexandrinos vulgavit satyram, quam μισθωτόν, sive odium her- bæ inscripsit, ad suæ barbæ defensionem; de hoc libello Britannico nihil habeo, quod dicam cum anglicè scriptus sit,

me-

neque ad meas venerit manus : an autem nimio fumi tabacini usu corpora ener- ventur, videbimus §. 13. hujus Exerci- tationis. Unum ad laudem tabaci traho, quod habuerit Reges, qui sua majestate condignum adversarium existimarint, voluerintque cum ipso tanquam cum hoste nobilissimo publicas inimicitias exercere,

§. 12. *An Tabaci fumus memoriae profit, vel obfit?*

**M**Emoriæ optimæ est celeriter admit- tere fideliterque retinere rerum si- mulacra, & imagines, ut ait Gal. c. 12. artis med. quod fit cum cerebri substanc- ia neque humiditate nimia fluxa est, nec nimia siccitate specierum impres- sioni rebellis, quod egregio ceræ fusæ solidæque exemplo explicuit philoso- phus l. de mem. & remimis. oblivio enim liquidam, memoria constantem fir- manque cerebri substantiam designat ex Gal. loc. cit. cum ergo siccitas juvet memoriam, opponitur enim humidita- ti, quam condemnat Gal. loc. cit. & con- traria est consequentia Arist. primo cæli, tabaci autem fumus exsiccat cerebrum, sequitur

220 EXERCITATIO VI.

sequitur, quod memoriæ conferet, & eo nomine commendatur à Io: Neandro. tabacol. pag. 45. contra quem

Dico, usum tabaci quo cunque modo sumatur, sed potissimum si sub fumi forma attrahatur, memoriæ nocere.

Probatur primo multorum experientia, qui valde sensibiliter labefactam suam sensere memoriam ex quo tabaci fumo pulverique assueverunt; de quo dicemus exercit. 8.

Probatur secundo, quia fumo tabaci circumferuntur species, abs sumiturque novis alimonię subsidiis reparanda cerebri portio: in illo enim exercitio, ut depuratur, ita etiam abs sumitur substantia medullosa capitis, quæ multis rerum imaginibus insignita cum sua dose perit, & in ejus locum generatur rudit omnino specierum cerebri portio, illa autem circulatio, ut imaginationi est grata, ita rerum ordinem corruptit, infestatque memoriæ œconomiam.

Probatur tertio quia cerebri exsiccatio memoriæ nocet, ergo tabacum: antecedens est certum auth. Gal. & Arist. l. de mem. & reminisc. c. 2. probaturque senū exemplo, qui siccii sunt, & obliiosi; consequens est evidens ob antea adducta confirmariq; potest hist. illius juvenis à

D. Pau-

D. Pauvio secti, cuius cerebrum fuliginibus atris erat obsitum, de qua hist. in §. seq.

Probatur 4. autoritate Marsilij Ficini, cui tantum debet Plato, quantum Platonii Græcia. Ille litterarum studiis devotus l. i. de tuenda sanitate c. 7. quinque infensissima memorie recenset, hebetatem pituitam, atram bilem obscurantem vires Venerem, vini fumos ciborumque satietatem, avocantem à capite calorem ad ventriculum, somnum matutinum, qui excitos auroræ afflatu spiritus ad interioris hominis tenebras cogitat: at tabaci fumus se habet instar satietatis cuiusdam, quæ capitis calorem distrahit, & spiritus à partibus interioribus ad externas avocat: præterea fumus ille somniferus vel reddit immemores, aut inventit: ergo memorie nocet.

Dices ideo prodeesse, quod pituitam evacuet, quam memoriæ impedimentū retulit Ficinus. Resp. de innata potius quam de affluxa pituita hunc Philosophum esse intelligendum, neque enim quidquam ob catharrum p. n. genitum memoriæ deperdo.

Confirmatur, quia cum fumi hujus abusu semen imminui dixerimus in superiori §. sequitur ab illa seminis dimi-

## 122 EXERCITATIO. VI.

nutione aliquid memoriæ interiturum  
ut ait Avicenna l. 3. can. Fen. 20 t. 1. c.

**25.** *Scias ( inquit doctissimus Princeps )*  
*quod generatio spermatis confortat corpus*  
*& cor; & parvitas geniturae ejus corruptit*  
*colorem, & debilitat memoriam, & intelle-*  
*ctum. Ratio est, quia testiculorum cum*  
*capite maxima est cognatio, ut colligi-*  
*tur, ex Hipp. s. 1. l. 2. Epid. & eam ad-*  
*struit Laurentius l. 7. c. 4. anat. calorem*  
*enim cerebro innatum irradiatione mi-*  
*rabili suo parenchymate fæcundique se-*  
*minis afflatu fovent testes, & hanc calo-*  
*ris affluentiam eleganter expressit Auli-*  
*cus Claudianus l. 1. in Eutrop. Eunu-*  
*chum, dum, ut ille canit, Armenius qui-*  
*dam emasculandis pueris vacans,*

*Fæcundum corporis ignem*  
*Sedibus exhaustum geminis, unoque*  
*subictu*

*Eripit officium patris nomenque*  
*mariti.*

*Ambignus vita iacuit, penitusque*  
*supremum*

*In cerebrum secti traxerunt frigo-*  
*ra nervi.*

*Destitutum enim sociali adventitio-*  
*que*

que calore cerebrum torpet, minorisque est mobilitatis, vnde agilitate illa tum spiritum tum substantiae defraudatur, quæ quantum faciat ad memoriam non est hujus loci referre.

Vide philophorum Cæfarem, Julium Cæfarem Scaligerum *exercit. 307. sect. 28.* Recordetur qui ad insaniam tabaci fumo utitur, quod ait de memoria Plinius *l. 7. c. 24.* Nec aliud est æquè fragile in homine, morborum & casus iniurias atque etiam metus sentiens : quare qui memoriam necessarium adeo vitæ bonum amat, tabaci fume non abutatur. Modestus fumi usus nee nocet nec prodest memoriæ, immoderatus nocet.

Restat ut respondeam rationi à me pro Neandro in §. hujus initio adductæ. Dico autem, has authorum sententias, & eam rationem de primigenia originali- que temperie intelligendas, non autem de præternaturali, & adventitia qualem inducit tabaci fumus. Deinde ad difficultatum omnium brevem solutionem addo Galeni sententiam, *c. 12. art. med.* debere sumi accommodè, nimia enim siccitas, nimiaque humiditas memoriæ ex æquo nocent, illa recipiendis, ista retinendis imaginibus. Verum ratione habita substantiæ cerebri, quæ à natura

24 EXERCITATIO VI.

humidior est, si paulisper deflestat ab illo  
humido, felicem parit memoriam, sin  
autem moderationis limites transfiliat  
infelicem generat. Quæ in hac brevitate  
festinanti fusius explicare non est neceſ-  
ſarium. Ad praxim veniamus.

§. 13. De legitimo fumi tabaci usu,  
deque dannis immoderati ejus  
inordinatique usus.

**F**umus tabaci usus moderatus & pru-  
dens 15. grandia affert iuramina.  
1. acutiores reddit sensus. 2. pru-  
dentiam perspicaciamque auget. 3. ani-  
males spiritus recreat. 4. reddit caput  
studiis aptius ob puriatem. 5. nebulas,  
pituitam, aquas cerebro infestas prolicit.  
6. flatus in cerebro fitos discutit. 7. destil-  
lationes exsiccat. 8. præservat à morbo  
comitiali. 9. à vertigine itidem aliisque  
capitis morbis à pituita ortis liberat. 10.  
obstructiones viscidas tollit. 11. infundi-  
bulum cerebri glandesque pituitarias  
abstergit. 12. nervos confortat. 13. vires  
reficit. 14. somnum benignum inducit.  
15. morbos à pituita ad totum corpus  
derivaturos (si quidem pituitæ metropo-  
lis est cerebrum *ex Hipp. l. de gland.*) hos  
inquam morbos vel prævertit, vel discus-  
tit,

tit, vel benigniores reddit, & minus periculoses, consentiente, ut supra diximus, corporis temperamento.

Utilissimus est tabaci fumus Nauticæ Castrænsique turbæ, qui sub Dio humiq; cubare coacti plurimum pituitæ ab aeris injuria necessario colligunt, iisq; ut pote firmioris habitudinis, exercitatique per labores corporis purum tabacum assumentum.

Deinde convenit unicè quibusdam qui intempestivis usi studiis, distillationibus & labore caput pene corruperunt, studentium enim proprius morbus est catharrus, sed iis utpote delicioris compaginis, admiscendum erit tabaco anethi vel feniculi semen, ligni sancti, aut ligni aloe rasura: nescio an sit in rerum natura præstantius exsiccando capiti remedium, si chinam radicem excipias, & hoc nomine Deo Opt. Max. debemus gratias agere, quod fatiscenti sub morbis hominum saluti caducæq; nunc temporis mortalitati aperto Indianum commercio subvenerit.

Præterea si quibus vertigo à flatibus vel pituita est ceteris consentientibus, haurire hunc fumum expediet.

Immisceri poterit betonica, cinamomum purius, aloes lignum minutum

## 126 EXERCITATIO VI.

concisum Persarum more, olei anisi guttæ aliquot, vel tabaci folia poterunt saginari varijs extractis, ut sale eufrasiæ, essentia betonicæ, & rorismarini, parcè tamen ob odorem & calorem, vel fistula imbuatur liquoribus aptis, ut illac derivatus fumus aliquid etiam qualitatum salubriorum obtineat, & acrimoniam suam longiori frigidioriq; tubo frangat.

Hauriendus fumus mane jejuno ventriculo in aurora, vel si lubeat copiosius eo se explere, sumatur noctu dum cubitum itur, ea tamen lege ut nulla vel parcißima cæna præcesserit jam duabus, aut tribus horis: longa sit cannula, & aqua respergatur, ut mitior sit temperatiorque fumus.

Si qui longa diutinaque cerebri intemperie vexati voluerint ad meliora iura valetudinem traducere, iis præparatio universalis necessaria, quæ duobus consistit Medici assistentis authoritate decidendis, purgatione & diaœta, his duobus instructus æger ordiatur à tertia lunæ quadratura, dein silente, postea in prima quadratura, idque biduo in singulis quadraturis, dum luna implevit orbem abstineat, sed fumi loco utatur potius mane sirupo, vel juscule, aut conserva cephalica. Constantique hujus fumi bene temperati

perati usu collapsam cerebri temperiem paulatim restituet; si præfertim sequentia observet.

In aurora post fumi haustum quiescat usque dum evanuerit internus motus nidorque, tum verò ad incidendam pittuitam & partium robur, sumat

Oximelitis hispan. unc. j.

Aq beton. stœchados rectificatæ unc. ij. misce.

Vel quod aliquanto magis arridebit, quodque utilius est.

24. Jusculi palumbi pinguis alterati cinamomo, &

Fol. pinpinellæ, & betonicæ unc. quinque.

Sumat cum succo limonum, aut au-

rantiorum

ad id, ut si quid residui fumus reliquerit debilitatis, reparetur; subinde leniter sua negotia peragat, abstineat violenta applicatione, & facta ambulatione levi prandeat.

Quæ autem damna afferat homini immoderatus inordinatusque fumi hujus usus, non est ita facilè referre; nam præter illam hauriendi libidinem inexplebarem, nimia assiduitate homines redundunt immemores, cerebrum exsiccatur, violatur ventriculus per consen-

## 128 EXERCITATIO VI.

sum, vita brevior fit, & si quæ nascitur ab  
hujuscemodi hominibus proles, ea est  
brevis vitæ, ut annotavit Neander. p. § 2.  
ad tabem aliquando marcoremque devol-  
vuntur, & vitam brevem habent: adeò  
verum est illud effatum Platonis: *duplex  
est rebus ansa, & optimarum rerum abusus  
summè noxius est, vnde iterum repeto  
μηδέν αἰσχύνη, nihil nimis.*

§. 14. Agitatur illa celeberrima que-  
stio, an scilicet nimio tabacini usu  
possint atræ fuligines crustave ni-  
gra in capite congeri.

**P**RIMA opinio est Pauvij anatomi-  
ci, & Falkenburgij, qui dicunt ab  
nimio fumi usu congeri fuligines  
atras, probantque sententiam suam ex-  
perientia, & ratione.

Meminit enim Raphelengius Pau-  
vium dissecuisse fumisugum, cuius ce-  
rebrum atris fuliginibus erat obsitum,  
dubius de causa, responsum est ab ad-  
stantibus tabaci fuisse amantissimum,  
neque ullo modo valetudinarium: hinc  
à tabaco fuligines illas congestas suspi-  
catus est Pauvius.

Probatque tribus rationibus Falken-  
burgius,

burgius , non fuligines modò , verum etiam nigricantem crustam posse cranio aggenerari ab immodico fumi tabacini usu.

I. Dubium non est, quin inter craniū, & meningem duriorem congeri possit aliqua pituita viscida, quæ dissipatis subtilioribus tenuioribusque partibus ibi fixa adhæreat, quare si quis interea suffumigio tabaci intemperanter insistat, cum ad crustam illam recta via indefinenter appellat, nihil implicat quo minus ab oleaginoso nigranteque fumo exsiccatior crusta nigrescat. Pituitam ibi congeri, & in crustam concrescere, ita Falkenburgius narrat: *Testari, inquit, possum, me in dissecto capite medio inter duram menyngem & totam cranij basin spatio, duram ejusmodi, concretam, & sicciam crustam, cranij ossibus tenaciter adhærentem, altam tamen deprehendisse, ac talem saepius in insigniter lue vexatis venerea nostro saeculo, ex virulenta materia huc protrusa in eodem loco concrescere, experientia habeo compertissimum: quod si hujuscemodi homo tabaco utatur frequentissime, quid quæso facilius, quā materiā eandē nigredine cōtrahere? quod autē illuc fumus appellat, nemo anatomicus peritus dubitabit.*

II. Tabaci fumus habet in se unctuosā,

130 EXERCITATIO VI.

& oleaginosam viscosamque materiam,  
quæ successu temporis, vel cerebro re-  
frigerato, aut tabaci familiaritate non af-  
fecto (nam ab assuetis non fit passio ex  
Arist. Rhet.) poterit concrescere, suoque  
lentore partibus adhærere, quod ex ignis  
fumo in caminis evenire quotidie vide-  
mus, pronumque est suspicari in iis, qui  
hypochondriaci, aut maniaci sunt.

III. Quædam cerebri partes ita pote-  
runt exsiccari & calefcere, ut reliquis  
falvis manentibus denigrentur, ergo  
concludet Falkenburgius, liquere expe-  
rientia & ratione, non esse difficile à taba-  
co atrah fuliginem in capite genera-  
ri.

Secunda opinio est Gulielmi de Mera,  
qui varias pro se affert experientias, &  
unam rationem, quæ si admittitur, ruit  
Falkenburgij placitum.

Tabacum ad cerebri substantiam mul-  
to minus ad ejus cavernas, seu ventricu-  
los pervenit, ergo nullas ibi fulgines ge-  
nerabit. Dicit autem ab tabaco tanquam  
à magnete trahi pituitam.

De Pauvij verò experientia ita loqui-  
tur, ut se id omnino ignorare dicat, cum  
tamen Pauvius fuerit ejus præceptor; se-  
que Delphis apud Batavos diversa cada-  
vera publicè secuisse, quos inter Rheda-  
rium

DE TABACO. 131

rium furem, qui inter alios fumisugas erat celeberrimus, quique hora mortis tabaci fumo sese munierat, in illa tamen inventi sunt omnes processus, ductus, & ventriculi cerebri, capitisque meatus purissimi à fuliginibus & nigrore. Ros terodami architabaccarius quidam suspensus & dissectus, nullâ cerebri corruptela, aut fuligine inventâ. Multos præterea fumisugos secuit idem Meerus, nullam tamen nigredinis notam reperit; quamvis duos disslocuerit, gibbum, aliumque, qui hora mortis fumo tabaci se se refecerant; Ergo concludit Meerus, non est verum, congeri fumo tabaci fuligines, crustamve generari posse fuliginosam.

Si mihi tanquam arbitro & censori hæc controversia permittatur, abdicata Meeri ratione ejus adhærebo placito contra Falkenburgium. Verùm enim verò falsa ratione adstruit probabiliorem partem Meerus, dico enim fumum tabaci cerebri intimos recessus adire, cæteroqui qua ratione fierent temulenti, aut somnolenti? neque medicamenta ita agunt, ut non sui substantia eant ad partes ubi est humor sibi familiaris, ut colligi potest ab Hipp. l. de vet. med. & quamvis vi attractiva id fiat, requirit tamen ea vis im-

## 132 EXERCITATIO VI.

mediatum contactum, & fermentatio-  
nem, ut loquitur Sennertus, non autem  
magneticam distantiam.

Ratio cur ergo assentiar Meero, hæc  
est, quod scilicet non potest fuligo adeò  
sensibilis generari in cerebo, quin gra-  
vissima inducat symptomata, quæ ta-  
men nulla in fumis fugis deprehendun-  
tur: secundò, tenuior est, & minus vis-  
cosa tabaci evaporatio, unde nullo nego-  
tio per poros elabitur, & virtute expul-  
trice profligatur, quare camini exem-  
plum non valet cū in camino nulla sit vis  
expultrix, neq; à confuetudine illa hebe-  
tatur expellens facultas in animalibus,  
quia multo magis hebetaretur à familia-  
ribus cerebro fuliginibus, quas tamen  
continuò per craniū detrudit foras, quāto  
magis tenuem sibi q; ex toto contrariam  
fumi substantiā? Deinde rationes Falken-  
burgij nihil de tabaco probant, sed tantū  
de fumo in genere, vnde furnarij, fullo-  
nes, fabri, aliæq; operæ in fumo perpetuo  
versantes deberent illā crustā fuliginosā  
contrahere, cū etiam situm fulginosū ac-  
quirant ea cubicula in quibus laborant.

Pauvij autem experientia, ut apparet,  
primo dubia est, deinde potuit à violen-  
tiori melancholia exsudari incraffari-  
que hæc fuligo, in mortis enim violentæ

ex-

expectatione ita moventur miseri illi, ut totam humorum œconomiam perturbari non sit dubium. De crusta verò eorum, qui gallica lue afficiuntur, non dubito, cum in aliis partibus inexpugnabilis visciditatis pituita sæpiissimè congeratur, ut meo maximo aliorumq; Medicorum stupore deprehendi in homine colica affectione à pituita vitrea correpto, vix enim post 40. dies variis remediis tentatis, quæ tamen & efficacissima erant & valde apposita, præscripto à me asari vino dissoluta est. unde si in intestinis, quo appellunt facilius potiones & clysteres, concrescit hæc pituita, quanto magis sub cranio, loco nempe frigidiori? At illam crustam fuliginibus tingi posse nego, tum quia fumus, qui illuc pervadit jam est tenuatus, & expurgatus crassioribus partibus, unde ob sui tenuitatem ab vi expulsive suoque nativo impetu facile dissipatur, tum quod concretioni fumi valde intensa requiritur frigiditas, quæ in nulla viventis parte est.

Tertia ratio Falkenburgii minus obtinet virium, etsi aliquæ cerebri partes homine salvo possint tolli, ut raris quisbusdam casibus contigisse refert Framboisierus in canonibus chirurgicis; quisbus addi potest rarus ille monstroq; pro-

## 134 EXERCITATIO VI.

pior casus, qui Dolæ contigit anno 1641. Juvenis armamentarii operarius laxatō machinæ impetu, tam altum vulnus in dextro syncipitis osse accepit, ut fracto crano cerebri portio adhæserit ligneo clavo, meningumque lacerata compages, & separatæ laciniæ, quæ singula, ut etiam vulnus curiosè conspexi, convaluit tamen sub auspiciis Excellentissimi D. Labbè, Regii medicinæ in Universitate Dolana professoris.

Attamen exsiccatio nobilis adeo partis non potest fieri, quin adsint gravissima, in robustis præsertim juvenibus, symptomata, horum enim potens natura causis morbificis optimè resistit. Ergo licet absolute, & methaphysicè loquendo, naturæ scilicet otiantis torpore aliqua hujuscemodi contingere possent, nunquam tamen contingunt, aut secundum ordinarium fumisugarum habitum possunt demonstrari. Vide Epistolas 4. Neandri Tabacologizæ annexas, quas toto Neandri opere duco potiores.

§. 15. An nimius Tabaci usus possit ex-  
siccare, & abolere processus mam-  
millares, in quibus est olfactus  
organum.

**P**auvius patibularium fumisugam  
secuit, cui deerant omnino pro-  
cessus mammillares, unde suspica-  
batur à tabaci abusu fuisse absumptos;  
erat autem is omnium tabaci amatorum  
facile princeps, deerantque non proce-  
sus modò, verum & nervorum odoran-  
tium extrema. Sicuti heclicorum cutis  
exsiccatur, & in ardentissimis febribus  
colliquantur partes, ita nimio fumi ex-  
siccantis usu potuit hoc organum labe-  
factari, regestis scilicet naso fumi haliti-  
bus. Hoc Falkenburgius concludit.  
Meerus autem negat, morbos in confir-  
matione posse unquam ab pravo usu re-  
rum p. n. oriri, & citat pro se Realdum  
Columbum l. 15. de iis, quæ raro in ana-  
tome contingunt; Lazaro enim Vitri-  
voro deerat gustus omnis, quod quarta  
nervorum conjugatio ad occipitum re-  
flesteretur. Pariter multis aliquando  
multa desunt, & plura sunt monstra in  
interioribus, quam in exterioribus appa-  
reant.

Dico

## 136 EXERCITATIO VI.

Dico tamen primò, quicquid sit de illa Pauvii dissectione, Olfactum ab usu tabaci in multis aboleri: id plures mihi retulerunt, tūm qui pulvere, tūm qui fumo abutuntur: ratio est, quia nimis exsiccantur processus mammillares, unde cum sicciores quovis odore reddantur, non possunt ab iis immutari, odor enim est à sicco superante humidum, sensoriae ab objectis suis immutari opus est ex Arist. 3. de anim.

Dico secundò, processus mammillares aboleri non posse à tabaco, quia nullam habet vim erosivam; exsiccabuntur autem, sed non colliquecent; colliquatio enim non est partium nervosarum affectio.

## §. 16. De tubulis Asthmaticorum.

**Q**VI fumus sublevando à pituita capiti hauriendus est, vel naribus, vel ore regeritur, (quod imitante hominē industria, vidimus hic fieri ab animali peregrino, quod Tartarinum Turcicum vocabat Circumforaneus) si enim detruderetur ad ventriculum, vomitum alvumque solveret, quæ si cui expediant, innoxie abuti potest. Verum tubulorum.

rum ad asthma utilium meminit Monardes 7, *simpl. Ind.* Dalechampius l. 18. c. 156. quos compactos ex cannis certoque illitos succo accendi, fumumque exsugi feliciter ab asthmaticis dicunt. Ad illorum compositionem succum tabaci venire dixit Monardes omissis cæteris.

Censerem fumum hunc ita aptandum, ut ventriculo non esset molestus, ita ut refundi, glutiri, tenerique posset ad libitum, quo potissimum nomine à nostris tubulis tabacinis hæ cannulae discrepant.

**24.** Fol. tabaci siccorum,

Calaminthæ

Tussilaginis ana drach. j.

Mannæ opt. unc. j.

Fiat conditura, & cum nobis desint cannæ propriæ, impletat tubulorum vulgarium urceolum, & fumum trahat. Manna thoraci pectorique amicum est, pabulumque flammæ mitissimum dat, calamintha respirationi dedicatur, & tussilago suffitu vomicas rumpit, erit ergo hoc suffumigium asthmaticis perutile. Post hujus fumi usum sumat Sir. capill. ven. & de hyssopo. ana drach. v. aquæ cardui benedicti unc. iij. atque hæc de tabaci fumo dicta sint,  
cui si

cui si prolixior Exercitatio videtur dictata, in causa est Ignis elementi ratio fæcunda, quæ ut ait Plinius *seipsum parit, & minimis crescit scintillis.* l. 3. c. 110.

## EXERCITATIO VII.

De hauriendis Tabaci vaporibus.

**R**E M à nemine quod sciam exco-  
gitatam in hac exercitatione pro-  
positurus sum, cui unum tantum  
deest variarum experientiarum suffra-  
gium, quo medicamenta celebria red-  
duntur.

### §. I. Metodus nova utendi Tabaco.

**S**Icuti fumo alii, ità vaporibus tabaci utendum quibusdam esse suade-  
rem, quod ità fieri potest. Paretur vasculum instar alembici parvuli, quod clausum sit undiquaque, nisi quod ad latus habebit foramen cui cannula aptabitur, ità ut nihil omnino vaporum nisi per hanc canulam effletur; reponatur hujuscemodi vasculum in igne mo-  
derato,

derato, & finantur primi vapores ut pote impuriiores & aquosiores abire, subinde alios vapores meliores exsuget per hanc canulam sive tubulum æger; poterit autem tabacum imponi viride cum herba betonica, vel si sit siccum, fiat infusio præcisus cum aq. betonica, aut alio vehiculo pro indicatione, si autem hauriantur hi vapores pro ventriculo, admisceri poterit aqua cinamomi, vinum album, aut aqua cedri.

*L.* Fol. tab. opt. drac. ij.

Vini albi unc. ij.

Cinamomi parum.

Si pro capite, vini loco adde majoranæ, aut betonicæ aquam, vel harum herbarum succo folia tabaci asperge, &c.

*§. Demissos ad ventriculum, vel sursum ad caput eunt est tabaci vapores minus nocere, quam fumum,  
& plus agere.*

**N**ulla unquam ars è combustis corporibus potuit elicere primigenium humidum, quin maxima ex parte corrumperetur, quare ex inflammabilibus chymici extracta nunquam faciunt. Corrumptur enim igne, tūm spiri-

## 140 EXERCITATIO VII.

spiritus irositi , tūm humidum primigenium & oleaginosum , quod materiam flammæ dat : quam corruptionem explicui in libro de atomis disp. 2. cap. 4. propositione 36. ergo fumus tabaci , licet habeat plurimas adhuc proprietates eo potissimum nomine, quod omnia trahantur tubulo , attamen eas valde esse depravatas alteratasque dubium non est : quare & magis aliquanto exsiccat ; & habet illam formam fuliginibus obfitam, quæ non ita est grata inassuetis , præterquam quod qui capite sunt sicco destillationibus correpti vix possunt adhibere fumum tabaci.

Vapores autem, ut pote substantia vera humidumque radicale insitum , sunt mitiores , primò ratione suæ consistentiæ, illa enim humiditas gratior, secundò ratione suæ subtilitatis , tertio quod careant crassis partibus fulginibusque quæ necessariò fumum comitantur , quartò quod non ita facilè ventriculum conturbent , præsertim si aliis rebus gratis sint contemperati ; quintò mitius agunt ob suam raritatem , minori quantitate elicuntur, quam fumus, fortiusque vires exerunt benignas , quia omni superfluitate sunt liberi. Sive ergo capitisi, sive ventriculi , pectorisque gratia sustinuntur

mantur tabaci vapores, erunt magis proficui, quam fumus.

**§. 3. Canones quidam, seu Praxis utendi tabaci vaporibus.**

**P**Aratis, ut supra diximus in 1. §. instrumentis, si cui vaporibus hisce uti necessarium sit ob causas adductas §. 13. exercit. 6.

Primò immisceantur varia contemporando corrigendoque tabaco pro indicationibus, quas fidus medicus intuebitur.

Secundò Igne proportionato utendum pro vaporum quantitate viribusq; augendis, ut scilicet partes intimiores in quibus vis tabaci residet, exhalentur.

Tertio Ieiunus sumat, & in Lunæ quadraturis, Lunamque plenam evitet. Sed si urgeat usus, prævertat vel sequatur.

**EXERCITATIO VIII.**

**De pulvere Tabaci.**

**A**D tantum furorem nunc temporis pulvis tabaci absimitur, ut plurimis ipsa

## 142 EXERCITATIO VIII.

ipsa consuetudo fecerit pene cum aëre  
necessarium : adeo difficile ab assuetis  
resilimus. Ad hunc usum recluduntur  
officinæ , & cujusvis conditionis morta-  
libus in manu est, quod nequaquam Indi  
faciunt, qui sub melioribus formis uti  
tabaco novere. De hoc igitur pulvere  
publicæ valetudinis studium à me exera-  
citationem exigit.

§. I. *Quæ sit origo usus pulveris  
Tabaci.*

**H**oc usus nomine intelligo vulga-  
tiorem methodum qua adhibe-  
tur naribus tabacum ; nam pul-  
vis in catapotiis, unguentis, aliisque for-  
mulis locum habet. Illi itaque pulveris  
usui ansam dedit necessitas & occasio,  
cum enim experimento didicissent nau-  
tæ & milites , quibus initio frequentior  
fuit tabaci usus, eum pulverem sibi esse  
ptarmicon, & illa expultricis irritatione  
exonerari caput, usu commodo in nimi-  
am consuetudinem, ut fit , degenerante,  
plerisque inutilis & superfluus , aliis eti-  
am noxius evasit. Sternutamento enim  
( quod ex Aristotele l. 1. de hist. animal.  
c. 11. flatuus universi eruptio est & signum  
augu-

augurale, & unum ex spirituum omnium generibus sanctum, & sacrum) agitatum caput violentius, disruptis eo impetu meningibus, laxataque cerebri compagatione, nonnulli interierunt, ut apud Famanum Stradam in prolus. Academicis pistor ille Subutranus, qui cum vigesies quater sternutasset continuè, succedens proximè sternutamentum vigesimum quintum exitio fuit, disruptis arteriis, & membranis cerebrum circumcingentibus. Non ignoro inter medicinæ tutamina ptarmica recenserি, frustraque disputat Neander an sternutamentum cerebro possit prodeesse, cum quos natura molitur motus, sui exonerandi causa, illi sint etiam à medicina imitandi.

Peruani, Virginiani, Floridanique crebris choreis saltationibusque sacris defessi in Deorum suorum festivitatibus, imitaturi eum morem quo homines immolantur, quasi se se singuli ea ratione mactarent, exactis per tripudia viribus (quod hostiis humanis moris est) attrahunt naribus tabacū, ore absorbent, dentibus masticant, succū bibunt & naso trahunt, quare illius herbæ virtute inebriante concidunt veluti mortui, & quinq; circiter horis somno, & temulentia sepulti jacent ; dum tandem reparatis omnino

## 144 EXERCITATIO VIII.

omnino viribus resurgent: tantaque ipsis est in tabaci usu voluptas, ut saepius eo nomine vapulent à Dominis servi, qui diligenter tabacum exquirunt, ut adimant desidiosæ voluptatis occasionem.

Multi recto ejus usu primò, deinde facta consuetudine, postea contracto habitu, tantam hujus pulveris vim absument, ut hominem noverim qui die unica pulveris tabaci optimi unc. iij. naso suo perdiderit. Aliis nulla necessitas sed imitatio, quæ autoritate trahitur, ad eam rapiuntur labem: nullum enim potestius vinculum hominem ligat quam exemplum, & autoritas. Nonnullis quod ad eos accedant quibus arridet, seque possunt in exigua re ostendere liberales, occasio utendi fuit. Quibusdam adorantur in Principibus viris errata, quæ quod à plebis absint confuetudine, deliciora & decora videntur.

§. 2. *Cur tabaci pulvis excitet insolitis sternutamentum, assuetos autem non moveat.*

**R**Espondeo ad hoc quæsumus duobus verbis, quia sternutatio fit ob irritationem

tionem virtutis expultricis, irritatio ob molestiam, molestia ex inassuetudine, quod enim consuetum est molestum non est, nam naturale molestia caret, consuetudo autem est altera natura, ergo à primo ad ultimum ab assuetis non debet fieri passio: secundò, quia frequenti hujus pulveris usu siccatur, induratur, callumque contrahit nasus interior, unde a credinem illam nullo modo percipit; qui autem non assueverunt, contrarium patiuntur.

§. 3. *Quid fiat de tanta pulveris copia  
quæ à qubusdam absumitur.*

**R**Espondeo tribus viis deperdi: I. potissima pars illius pulveris iterum regeritur naso, si enim se se emungunt, pulvere fædant linteolum. II. alia pars exspuitur, transit enim per nasi meatum usque ad palatum, unde cum pituita regeritur. III. nonnunquam adhæret interiori palato, & ossis ethmodis meatus subit, ibique hæret aliquamdiù dum vel absumatur à nativo calore, vel sponte concidat, sive in ventriculum delabente pituita, sive in alias partes.

§. 4. *Quid damni aut utilitatis afferat  
pulveris tabaci usus?*

**C**ertum est 1. imitaticem naturæ medicinam, ut ait Hipp., proximis facilioribusque viis ad corporis partes expurgandas uti debere, quare cum proximum cerebri emunctorium sit nasus, ea via commodè medicamenta derivantur.

Certum est 2. nonnunquam non cerebrum modo, verùm etiam nasum ipsum processusque mammillares esse nimis humidos, unde nec odores percipiunt, nec ipsis à putredine satis est causatum; quare tabaci pulverem opportunè exhibitum in istis caſibus non condemno. Quæ præmissa volui, quia viri in re medica magni nominis aliqui, omnem omnino tabacini pulveris usum condemnant.

Cujus tamen usus moderati sex sunt utilitates. 1. major oculorum puritas, nam facit exsiccans pulvis ne morbis à pituita infestentur, quod autem magnum sit nasi palati oculorumque confinium & consensus, egregiè sua experientia probavit Gulielmus de Mera, instillata

stillata enim oculo aloes gutta saporem paulò post percepit in palato.

2. Caput in serenitate conservat, p̄tuita mucoque exactis.
3. Prudentiam siccitate inducta accuit.
4. Odoratus perfectioni s̄epissimè confert.
5. Nasum ab fætore, polypo aliisque morbis frigidis præservat.
6. Valet multum contra frequentiorē spuendi consuetudinem quam Græci πτωλισμὸν vocant.

Hæ tamen multo gravioribus incommodis utilitates rependuntur, quibus inconsideratè, & intemperanter adhibetur. Plus unum incommodum affert doloris, quam mille commoda voluptatis, adeò sumus proni ad doloris amplexus.

Primum incommodum est odoratus abolitio, membranarumque nervique odorarorij exsiccatio, processuum mammillarium tabes, ut probavimus. §. 15.  
Exercit. 6.

Secundò, inducta cerebro intemperies, quæ memoriam labefactat.

Tertiò, operantur in medicina isti, quando quiescere licet, quod furoris genus appellat Celsus.

148 EXERCITATIO I. VIII.

Quartò, attrahunt à ventriculo ad cerebrum humores pravos, immoderataque cerebri exsiccatione aliqui vix sibi satis constant.

Quintò, senium mortemque accelerant adventitia siccitate, humido radicalli infesta.

Sextò, febribus acutis magis obnoxij redduntur, itemque deliriis, & phrenitidi.

Septimò, vidi non neminem cui insanus hujus pulveris usus crystallinum corrugaverat humorē, vnde & fluitatia cernebat obiecta.

Octavò, durior auditus fit iis, qui parvum caput fortis sunt, tinnitusque aurium cuiquam contigit effrænato hujus pulveris usu.

Sic sunt comparata optima quævis, ut in eorum usu moderato, bonitatis maxima pars sita sit. In aurea mediocritate stat rerum omnium præmium, præstat tamen in medicamentorum usu infra subsistere, quam limites transgredi. *Cavendum inquit Celsus l. 1. c. 1. ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumentur, unde a yār.*

§. 5. *Legitimus tabaci pulveris usus  
in errhino, & ptarmico.*

C Anon universalis. Pulvis tabaci ejusque usus circumscribitur, primum ratione electionis, secundum ratione præparationis, tertium quantitatis, quartum frequentiæ, quintum temporis, sextum personarum, seu temperamento rum: de quibus sigillatim regulas præscribemus, quas si aliquis servet, utilem experietur pulverem; si negligat, incommoda sentiet; sed ut non omnibus utilitas eadem, ita neque eadem incommoda, sed singulis sua, unum vel plura.

Regula prima. In electione tabaci utantur potius nostrate quam Indico, ob rationes adductas Exercit. §. 5. ubi de tabaci sophistificatione egimus, ostendimusque ejus vim genuinam adventitiis multis alterari, & corrumpi, ut Exercit. ult. §. ultimo iterum suadetur.

Regula secunda. Pulvis sit minutissime contritus, & si opus sit pluribus aliis rebus alteratus, ut pulvere eufrasiæ &c. quo minutior est eo acrior, nam inter tot dotes quibus tabacum præditum est, vix ullâ aliam quam acrimoniam stimulū

## 150 EXERCITATIO VIII.

promit, quo nares vellicat; si tamen altius ad cerebrum trahatur, fortassis ob moram qualitates alias ope caloris nativi poterit exerere; at eæ facilius exeruntur cum ad minutissimam divisionem venitur. Componitur autem varijs rebus, primo quidem redditur odoratum moscho, rosis, jasmino, zibetta, aliisque admixtis, sive admisceantur hæc corpora, sive arte chymica extractis jasmini, rosarum, aliisque folia tabaci pulvisque saturentur, siccenturque iterum.

Sennertus l. 5. p. 3. f. 3. c. 30. Inß. ptarmicon habet ex tabaco compositum quod ibi vide: ego, cui tanta mixtura non placet, sic potius componerem, simpliciora enim medicamenta sunt meliora ex Avic.

**2.** Floris tabaci, fl. eufrasiæ, & betonicae ana. q. s. fiat pulvis: odorata enim ut moschus, ambra, &c. caput replent, tantum abest ut ei exonerando prosint. Itidem confici posset aliud errhinum generosius frigido cerebro amicum: mundentur suis venis folia, & horum

**2.** Fol. tabaci unc. j.

Florum, & seminum majoranæ drac. ij.

Stœchad arabicæ drac. iij.

Fiat pulvis secundum artem.

**2.** Hujus

## DE TABACO.

152

2. Hujus pulveris unc. 1. fl. tantum  
dem enim fere fiet, quia ut dixi  
mundata sunt suis venis, & co-  
stis folia.

Essentiæ rorismarini guttas iv.

Essentiæ stœchados scrup.j.

Misce, serventur in vase  
bene obturato per diem unum, deinde  
reponantur in vase sigillato, & fiat ex-  
ficcatio in cineribus, hujus pulveris dosis  
est unum granum pro capitis corrobor-  
atione, & sternutamento.

Sin autem in soporosis affectibus na-  
tura excitanda sit, vehementiora licebit  
ad miscere, ut *elleborum, euphorbium, hiera*  
*diacolocynthidos, & quæ propter effræ-*  
*natam vim solis apoplecticis insufflan-*  
*tur. Mitiora sunt *hiera, radix pyrethri,*  
*cyclamen, zingiber, saponaria, piper,*  
*caryophylli, cubebæ; Semen staphisagriæ,*  
*cumini, enulæ, nasturtij, sinapi: fl. ptar-*  
*micæ &c.**

Regul. III. Mundo corpore jejunus  
homo non improspera usus valetudine  
exonerando capiti pulveris unum, aut  
alterum granum ex utraque nare su-  
mat.

Regul. IV. tunc magis hoc utendum  
pulvere cum majores sunt in pituita  
mutationes, quales sunt in prima &

G 4. tertia

152 EXERCITATIO VI.

tertia lunæ quadratura.

Regula V. Aliis Lunæ phasibus abstinentum, sed præsertim cum orbem implevit, quia tunc impactior est magisque resistens excretioni pituita, & in profundiores corporis sinus recessit.

Regula VI. abstinendum cum cerebrum se per nares sua sponte exonerat, quia in suis motibus non est turbanda natura, cerebro item incalescente ob inflammationis periculum; neque adhibendum in oculorum morbis calidis, ne major concitetur fluxio, ductis ad partem affectam humoribus, neque ubi nares hæmorrhagia tentantur, quia eam magis irritat, neque ubi in naribus erit ulcus, quia vexabit, nec siccabit; præstat autem in eo casu succum trahere ob uniformem expansionem; aliqui tamen contrarium suadent.

Regula VII. Noxius est usus statim à cibo, aut dum noctu cubitum itur, ob attractum à ventriculo excrementum, motosque sursum ad caput humores, qui potius deorsum essent cogendi.

Regula VIII. calidiori sicciorique cerebro abstineant, at contra uti commodè poterunt pituitosi.

Regula IX. Dandum est aliquid consuetudini, vnde & iis, qui ita assueverunt

runt huic pulveri, frequentius in die utantur, author essem coercerent se intra moderatores limites, & semel in die tantum jejuni adhiberent : quod si gravior sit ea abstinentia, sumatter de die, mane jejuni, iterum jejuni ante cibum, & ante cænam.

Regula X. Quibus hic pulvis est inassuetus, & caput plurimo humore grave est, nisi facta universali curatione abstineant, ne motu horum humorum importuno gravem inducant destillationem. Robusta natura errata vel tolerat, vel vincit:

Quæres, an tabaci pulvis fit reponendus in ptarmicorum violentorum classe ? Resp. non esse violentum, quia nullam habet malignitatem, imò si cui exhibitum esset ex helleboro ptarmicon, oportet pro antidoto errhinum subdere ex tabaco, insuflato per nares pulvere.

## EXERCITATIO IX.

### De foliorum Tabaci masticatione.

Usus est celeerrimus tabaci, quem dicunt vulgo *assumere folia*, quæ

## 154 EXERCITATIO IX.

ore detineant, vel masticent, aut proli-  
ciendæ ex cerebro, & ventriculo pituitæ,  
aut sublevandæ fami sitique. Ubi qua-  
tuor veniunt examinanda. Primò, cur  
folia tabaci ore detenta famem & sitim  
sedent, itemque fumus? Secundò, cur  
aquas è capite & ventriculo educant?  
Tertiò, quisnam sit usus foliorum legi-  
timus? 4. quid conferant ad podagram  
tabaci folia masticata?

§. I. *Cur folia fumusque tabaci sitim,  
& famem sedent?*

**M**iraculo proximum est quod de taba-  
co in hoc famem sitimque sedandi  
affectu recensetur à Monarde, Lopez de  
Gomara, Oviedo, Benzone, Dalechampio,  
& aliis: idque admirationem superat  
quod absque cibo & potu alacres, &  
laboribus reddat aptissimos. Militibus  
castrisque lixarum turbæ in Europa,  
imo & in voracioribus Europæ populis  
notissimum est, triduanam expeditio-  
nem nullo incommodo absque potu ci-  
boque obiri posse, dummodo tabacum  
adfit unicuique, five illud fumo, five  
trochisicis habeatur assumptum. At  
nobis pariter ut Indis non adeò feliciter  
succedit hæc virium reparatio, sitis fa-  
misque

misque abolitio, quia nostrum tabacum imbecillus, & discrepat præparandi ratio; quamvis in obsidione Valentiæ anno 1636. miles fuerit qui hebdomadariam sustinuerit inediā, globulis tabaci vires belli laboribus aptas conservans. Indi autem cochlearum quarundam testas comminuunt teruntque calcis modo, hujus & foliorum accipiunt partes æquas usquedum massâ fiat, quam in pillulas ciceri æquales dispescunt, umbraque siccatas reponunt ad usum. Iter per deserta locaq; cibi indiga facturi, assumunt aliquot ex his pillulis, harum unam inter labrum inferius dentiumq; seriem reponunt, ejus succum assidue forbendo: absumptâ primâ secundam tertiamque reponunt donec iter quatri-duo confecerint, quo tempore nec siti nec fame, imo nec lassitudine per vias difficillimas tentantur. Peruviani tamen meris tabaci foliis utuntur ex *Lopez de Gomara*. Idem expertos se beneficium à tabaci fumo retulerunt mihi milites fide digni, qui unica tabaci uncia bidualum absque potu ciboque, imo & absque horum desiderio transegerant.

Notum est quod de Coca scribunt rei naturalis historici, eo pene usu quo tabacum ad fitis famisque sedationem

## 156 EXERCITATIO IX.

inservire, ut testantur, Monardes, Benzo, & Dalechampius lib. 18. cap.

155. Quare miror summopere Joannem Jonstonum *Taumatographiae naturalis authorem* scripsisse class. 5. cap. 42. ex Neandri quem citat testimonio, tabacum esse sit fermentum; debuerat enim ille collectaneorum scriptor non in subsecundis derivatisque longius rivis hærere, sed digitum intendere ad fontium capita; Quorum autoritate experientiaque satis refelli puto ipsummet Neandrum, qui sit fermentum tabacum dixit ut probaret esse calidum, *Tabacologiae* pag.

17. quamvis enim pituitam evacuet, attamen multa humiditate palatum propriam sitis fedem gutturque diluit.

*Gal. com. int aph. 19. s. 4.* ait pituitam purgatam non facere sitim, quare certis populorum experimentis totque autorum fide, tabaco famem sitimque sedari, quod sibi parum in ea re consensiens confitetur etiam Neander *ex Monarde* pag. 34. Causa illius rei investiganda, quam non adæquatam assignavit Neander pag. 35 Ad hanc itaque materiam effingendam,

Anno primò, corpus nostrum in perpetuo esse fluxu, continuoq; aliquid ejus dissipari absurisque, unde alimentis

tis indiget, quæ si defint, septimo die hominem mori pronuntiavit noster legislator libro *αει δρχων*, subscriptis Macrobius *l. in somn. Scipionis cap. 6.* Plinius *l. 11. c. 24.* undecim dies assignat. Illum autem fluxum, vel *δημόπολες* effluvium, dissipationem, miasma, difflationem, dispersionem particularum omnimodam, non in homine modo agnoscimus cum doctissimo Sanctorio *libro integro aphoris stat. med.* verum etiam in omnibus mixtis celebravit disertis verbis philosophus poeta Lucretius.

*Visque adeo omnibus ab rebus res quæque  
fluenter  
Fertur, & in cunctas dimittitur undique  
partes  
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluz  
endi.*

Anno secundò, tabaco prolici pituitam, qua ad ventriculum devoluta, calor nativus circa illam excoquedam & dissipandam distinetur, unde qui magis abundant pituita, ii faciliùs cibo potuque abstinent, ut senes, de quibus *ipp. aph. 13. f. 1.* senes facillimè jejunium ferunt, quia pituita abundant excrementitia. Reversa si prodigiosas mirabilis inediæ historias recolamus, videbimus in feminis

G 7      potius

## 158 EXERCITATIO IX.

potius quam viris contigisse, mulier enim dicta est quasi mollior, & humidior, cuius scilicet corporis constitutio ex pituita prædominante coalescit. Vide diversas ea de re historias apud Sennertum lib. 3. pract. p. 1. s. 2. c. 2. Io. Ionstonum Tautomatograph. class. 10. c. 2. art. 7. Franciscum Citesium opus. de abstinentia Confolentanea; Fortunium Licetum opere singulari de iis, qui diu sine alimento vivunt; Marcellum Donatum de medica hist. mirabili l. 4. c. 12. qui omnium curiositatem vicit. Vidi ego rusticam in Gratianopolitano agro, quæ vix quindecim dierum spatio cogebatur semel ad cibum, erat ore tristi, cute pallida squalidaque ut aruisse videretur, (hinc exigua fuit ventilatio caloris, partiumque dissipatio) prono capite, oculis macilentis, & retusis, eoque habitu ut fatua videretur. His ita annotatis,

Dico primò. *Tabacum non ideo famen suimque sedat, quod pituita ad ventriculum prolicita detineat calorem nativum, aut ea alimenti loco sit.* Hæc conclusio est contra Neandrum Tabacol. p. 35. qui ita loquitur, *as fidua trochiscorum masticatione pituitosos è cerebro humores elicentes, quos succi melioris penuria in suum nutricatum con-*

convertit ventriculus. Deinde varias subdit historias , quæ nihil faciunt ad rem, cardo enim difficultatis non in eo est ut probet dari alimentum vaporosum, quod clarissimè admittunt omnes, & expressè *Valesius lib. 1. de method. medendi,* ubi dividit alimentum in solidum, liquidum, & vaporosum, ut adductis à Neandro historiis benè confirmatur ; sed debuerat probare pituitam excrementitiam qualis à tabaco prolicitur è cerebri ventriculis, posse in alimentum converti, deinde hanc pituitam satis esse copiosam , ut quatriduano jejuno per labores & corporis exercitia exacto sufficeret integris viribus conservandis. Dum hæc scriberem , narravit mihi ex discipulis meis unus, anno 1646. Novariæ contingisse rem satis stupendam. Aegrotavit ancilla mediæ ætatis temperamentique ex sanguine & melancholia subdominante ; nullo cibo potuque per octiduum integrum usæ est, imò ne medicamenti quidem, exacto octiduo surrexit sana integrisque viribus, ut nunquam aegrotasse videretur, at facilis fuit in lecto jacenti spiritum effluvium continuuisse , quam per exercitia duriora ; plus enim virium deterit labor unius diei, quam duorum dierum quies,

deinde

## 160 EXERCITATIO IX.

deinde somnus ei fuit pro alimento, & menstruorum detentus sanguis. Nunc autem adversus Neandrum duo mihi sunt probanda: primum quidem, pituitam non converti in alimentum; secundum, etiam dato, quod convertatur, viribus quatriduo conservandis non sufficere ætati juvenili virilique per labores duros agitatæ.

I. Partes excrementitiae corporis non alunt, sed excerni debent, pituita autem ab aliorum humorum massa separata est excrementum, ergo dissipari debet, non autem in alimentum converti: Quamvis enim Gal. in lib. Hipp. de viat. rat. in morb. acut. comm. 2. num. 30. neget billem & melancholiæ nutrire, concedatque de pituita, intelligentius tamen est de pituita naturali, non autem de p. n. & excrementitia, qualis educitur medicamentis. Pituitosis quidem rarius assumentus cibus, unde Dictator noster Hipp. illis sufficere si semel de die comedant, pronuntiavit, sed quatriduana bremadæque unius inedia, quo pacto absque virium jactura stare potest?

II. Iti demonstrationi si adducas subterfugium, immixtam tabaci succo pituitam acquirere consistentiam alicuius

jus mixti , cuius ratione evacat alimentosa , nequaquam difficultatem eludes.

Si enim tantum pituitæ quantum in capite reperitur congeras , non æquabit mole sua unc. vj. aquæ , nam humores in corpore humano , sive sint potentia , sive actu in venis , ita compensantur in temporeamento ad justitiam , ut sint sanguinis partes 1000. , pituitæ partes 100. , bilis partes 10. , melancholiæ pars. 1.

Sint ergo in corpore humano ad justitiam temperato

Sangu. siccil. 1000 vel librae xx. & unc. x.

Pituitæ siccil. 100 vel l. ij. un. j. aut un 25.

Bilis siccil. 10 hoc est unc. ij. sem.

Melan. sicilicus i vel drachmæ ij.

Quæ proportio confimari potest elementorum analogia , & coctionum ratione. Quid amabo pituitæ unc. 6. conferre possunt nutritionis , etiam si perdicum expressum essent , præfertim in tot laboribus absque alio potu ; ergo ratio , quam assignavit Neander , non est adæquata. Inedia quidem , pituitæ copioso affluxu tolerata , licet sitis famisque stimulos contemnat , virium tamen conjuncta est prostrationi ob partium solidarum exinanitionem , spiritusque animalis inopiam.

Dico

## 162 EXERCITATIO IX.

Dico secundò, tabaci fumus, aut foliæ non ideo famem fitimque sedant, quod sit in tabaco sufficientis alimenti portio.

Primo enim tabacum non est alimento sum, cum sit medicamentum purgans, deinde si esset sufficiens alimen-  
tum, non triduano tantum, verum & trimestri jejunio sufficeret, atqui post  
quatuor dies necesse est Indis adesse ali-  
mentum copiosum, & quidam Europæi  
milites post aliquot dierum expeditio-  
nem solo tabaco transactam amplis po-  
culis se reficiunt, ut ancilla Novariensis  
sincero appetitu avidoque cibum copio-  
sum sumpsit post octiduanam inediā;  
dissipata enim pituita ventriculus acu-  
tius appetit, melius retinet, celerius con-  
coquit.

Dico tertiod, tabaco famem fitimque se-  
dari, quod spiritus animalis qui motui in-  
servit, lentior fiat, & fortioris compagina-  
tionis, unde & tardius difflatur & eva-  
nescit.

Ratio est, quia ubi integræ sunt vires,  
ibi spiritum animalem vitalemque flo-  
rere necesse est; atqui triduano jejunio  
necessario dissiparetur si fieret solitum  
spirituum effluvium, eaque deperditio,  
qua quotidie velut aquæ dilabimur; ergo  
eam

eam lentè fieri sequitur. Si enim tardius effluat spiritus; manentibus viribus inculpatoque animali motu, diu poterit quispiam absque cibo vegetis esse muscularis; at amicissimum nervis spirituiq; animali tabacum supra diximus, illaque sympathiâ, quam cum spiritibus habet, fit ut diutius eos conservet puros & sinceros. Enimvero si rectè statum istius quæstionis perpendimus, non aliud problema quam illud præponi debet philosophanti.

*Cur iis qui tabaci pillulas delibant & exsugunt, aut utuntur fumo, parum intererit spiritus animalis vitalisque?* Resp. itaque ex §. 5. exercit. 3. Tabaco vires esse alexipharmacicas, cordi amicas, insitam cum spiritu animali concordiaë vim, qua illum ut confederatum fovet conservatque, quo diù manente illibato vegetoque parum sollicitatur cor ad id ut vitalem spiritum subministret; corde feriato nihil negotii est in hepate ad sanguinem conficiendum, hepate non stimulato vi attractrice venarum, neque ipsum venis mesaraicis vellicat intestina, intestina nullum appetitus stimulum refundunt ventriculo, ventriculi autem calor exigua, quæ absorbetur pituita, occupatus dispescit tabaci vim, quæ ad cerebrum.

## 164 EXERCITATIO IX.

cerebrum delata spiritus animales reddit fortiores, unde & eorum corruptio difficiolor, diffatio lentior, ususque diuturnior: at cum status hic sit aliquatenus violentus, triduo tantum quatriduoque durat, deinde cibo potuque reficiendi sunt. *vide exercit. 6. §. 9.*

**§. 2. Cur folia tabaci ore detenta masticatae aquas & pituitam è capite, thorace, ventriculo edificant per sputa.**

**C**VM hoc problema fere solutum sit *exercit. 6. §. 8.* breviter me expediam: addamque tabaco insitam esse vim contra pectoris morbos à pituita ortos efficiacem, atque ex hac quam cum pectore, capite, ventriculoque habet sympathia, illuc vires suas derivat: cum autem ex his omnibus partibus aquositates ad os diluendum gemment, iis attrahendis plurimum compendii affert tabacum, acrimonia, siccitate, & virtute phlegmogoga, qua humorem illum sibi familiarem trahit, sicuti plantis in terra alimento proportionatum fugere contingit, ex Hipp. l. de veteri med. cæteras causas adduxi §. 8. exc. 6.

§. 3. V-

*§. 3. Vsus foliorum tabaci legitimus.*

1. SI cui rerum penuria sit , aliquot  
folia tabaci secum habeat , quæ ad  
fitis famisque sedationem masticentur,  
& vires foveant,

2. Post noctes serenas sub dio tradu-  
ctas sequenti mane possunt folia sumi  
vindicando à morbis frigidis corpori.

3. Si quibus molestæ sint capitis fluxi-  
ones, stantibus viribus , sinceris utantur  
foliis , sin verò delicatiōri sint habitudi-  
ne, vel Deo facturi, unam ex his tabellis  
in ore finant colliquari , expuendo dum  
tota sit absumpta.

4. Succ. tab. vel pul. unc. iiiij.

Confer. majoranæ

Conf. ros. ana. unc. ii.

Cum facch. fiāt tabellæ unius 3. pro dosi.

4. Damnanda, & inutilis vitanda con-  
fuetudo.

5. Folia variè contemperari poterunt  
pro raucedine , tussi, asthmate , voce im-  
minuta. dyspnæa, capitis gravedine, den-  
tium dolore à causa frigida , catharro in  
maxillam, humeros &c.

6. Succi glycirrhizæ concreti.

Succi tabaci purioris ana. unc. j.

Conf. rorifmarini unc. vij.

Gummi tragacanthæ unc. sem.

Manus

Mannæ q. f.

Fiat electuarium. dosis à 3. j. ad 3 ij.

6. Tempus opportunum est matutinum servatis servandis.

7. Detenta ore folia alvum nonnullis cident, vomitum excitant, capitis agitacionem & faucium asperitates inassuetis relinquent.

§. 4. *Quid virium contra arthritidem  
seu podagram tabaci folia  
obtineant?*

**H**vic quæstioni ansam dederunt Ægidius Everartus Antverpianus, Dalechampius, aliiq; qui ex aliorum fide scribunt. Everartus quidem in commentariolo, *Sunt (inquit) qui tabaci folia singulis diebus mane à jejunis mandi jubeant, ut podagræ doloribus liberentur, quod multam pituitam in os proliciat, inque partes inferiores fluere prohibeat: quo fit ut foliorum exficatorum pulvis præservet à podagra eos, qui per circuitus doloribus pendum vexantur, si ipso petifoliorum exficatorum pulvere in utramque narem injecto usi fuerint; similiter, quoniam podagra cruciantur, sumpto instar errhini pulvere, dolorem remisfiorem morbi que decretionem*

*tionem manifestè sentient, donec vici situs  
dine temporis s̄epissimè illo utendo liberen-  
tur.* Dalech.l. 18. c. 128. *Sunt qui ejus  
folia singulis diebus mane à jejunis mandi-  
jubeant, ut podagra liberentur, quoniam  
multam pituitam in os attrahunt, eamque  
in partes inferiores defluere prohibent.*

At cum isti non ausi fuerint id ex se  
afferere, vel autorem producere, qui hos  
nestè nominari posset, res ob promissi in-  
gentis speique non spernendæ ostenta-  
tionem, medicinæ statera videtur exami-  
nenda. Itaque

Suppono primò, principales arthriti-  
dis causas varias esse posse, quibusdam  
enim à semine derivatur morbus, ex Cæ-  
lio c. 2. l. 5. ~~Chron.~~ & à parentibus ad fi-  
lios maligna naturæ legislatione transit.

*Et patrum in natos abeunt cum semine  
morbi.*

Aliis à Venere intempestiva corporis  
compagem laxante, & calori substituen-  
te fluxiones, vino immoderatius epoto  
humores serofos generante : hinc pro-  
verbium.

*Ex Venere, & Baccho nata fuit podagra.*

Quacunque autem corporis parte car-  
nificinam exerceat, à tribus causis im-  
mediatis generatur, imbecillitate articu-  
lorum,

## 168 EXERCITATIO IX.

lorum, & humorum affluxu, ex Paulo  
cap. 78. lib. 3. & laxatione meatuum  
quæ fluxionem juvat, ex Avicenna *Fen.*  
*22. l. 3.*

Suppono secundò in arthritide con-  
currere humorem, qui certa quantitate  
congestus se se in articulorum laxatos  
sinus per ossium, medullæ, & periosteum  
meatus exonerat, sive à temporum mu-  
tatione, & stellarum afflatu moveatur,  
sive proprio pondere laceffat naturam,  
quæ illum qua data porta extrudit. Ad  
sanationis itaque methodum duplex in-  
surgit indicatio, altera qua humoris ge-  
neratio prohibetur, altera qua corro-  
bantur firmanturque articulationes, &  
nervorum ossiumque meatus minus pa-  
teant.

Primæ indicationi ire obviam difficile  
est, quia corporis habitudo delicatior, &  
vix extortum ab ægris obsequium, vo-  
luptatisque cultus, ad medicinæ oppro-  
brium plerosque delusit, hinc vulgata  
illa deridentis medicos Podagræ persona,  
& podagræ encomium, quod Cardanus  
juniori calamo exegit, hinc extrectum  
ab ingeniosissimo pessimoque Luciano  
theatrum, & triumphali habitu devecta  
à subjugalibus Galeno, Hippocratique  
Arthritis.

Secunda

Secunda indicatio majores habet difficultates, quia accedit ad morbum conformatio-  
nis, deinde absque prima, frustra secundæ providetur.

Suppono tertio, licet in mea sententia nullus omnino morbus sit incurabilis absolute, præsertim ex iis qui pendent ab humoribus, tamen aliqui ita raro curantur ob nostram ignorantiam, ut eorum profligationem promittere multæ temeritati sit conuentum. Et plerunque audaces illi qui fucatis rationibus viros adduxerunt non ignobiles, ut sibi suam sanitatem commiterent, adhibitis remediis compluribus, id effecerunt, ut exasperatus dolor, & lapidescens in articulorum commissuris succus eorum corpora perpetuo lectulo affigeret, qui periodis cæteroqui non atrocibus Deæ Podagræ bis in anno litare cogebantur: quod magno suo malo expertus est Comes Elkembergius, & qui Paracelso se se commiserant antea Germaniæ processores, teste Sennert. in cons. & diff. chym. cum Galen. & Arist. Rationem quare curationem non admittat, docet Galenus l. 20. secund. loc. ob crassitiem materiæ, & caloris immunitionem in extremis refrigeratis. Ischiadem ob profundorem situm curatu difficilem censuit Avicenna. quibus ita suppositis,

170 EXERCITATIO IX.

Dico primò , Tabacum intus sumptum quocunque modo non potest sanare podagrum ; Ut enim sanetur morbus, tollenda est causa , tabacum autem tanta non est vi, ut ad articulationes usque porrigatur, juncturasque expurget , sed tantum in prima & secunda corporis regione hæret : ergo podagræ causas non aufert.

Dico secundò , tabacum potest præservare ab arthritide, & ejus quæ mediam admittit promovere curationem , si quæ autem medicos temporis præscriptione diuturna spernit, à tabaci recto usu accessiones habebit breviores mitioresque.

Hæc assertio probatur , primò experientia multorum clarissimorum viorum mihiique optimè notorum, qui masticatis detentisque ore jejuno tabaci foliis non leve percipiunt commodum. Quod autem tabacum præservare possit, conjectura tantum est, neque enim ullus potest certo afferere vi alicujus medicamenti præservari se; sed in remediis prophylacticis ob multiplicitatem complicatarum sibi invicem causarum persæpè fortuito judicamus , quæ causarum diversitas, & ignoti reconditæ naturæ cursus medicinam & astrologiam conjecturales reddunt.

Ratio

Ratio prima reliquæ propositionis elicitur ex Fernel. lib. 6. cap. 18. ubi ille sic ait. *Neque enim humor hic continens arthritidis causa tam varius atque dicitur existit, nec cnim biliosus, aut melancholicus vel sanguineus unquam est, sed omnino vel pituitosus vel serosus, perperamque arthritidis differentiæ ex humoris genere statui solent, ut alia calida, alia frigida sit, sed omnis frigida, & ex humore frigido genita.* Cum autem paulatim cumuletur, sensimque effluat, neque præcipiti cursu in ossium compages ruat, sed potius obstinata naturæ concoctricis & distributricis molitione meatibus longis illuc deriveatur, dicendum est, intercipi posse serositatem, discutique pituitam, quod quam commodè fiet si aliquando æger jejonus vel utatur sirupo, vel folium masticet ciceris magnitudine complicatum, ad avertendum pravum pituitæ cursum, deducendamque ad os serositatem. Atque hæc ratio satis est firma si corporis œconomia virtutisque distributricis momenta bene perendantur, & habeantur id pro oraculo, pituitæ metropolim esse cerebrum, ex Hipp. l. de glandulis. At cerebrum tabaco exoneratur.

Ratio secunda est, quia ex capite defluit in articulos pituita, ex eodem Fer-

## 172 EXERCITATIO IX.

nel. loc. cit. ergo exsiccato cerebro  
æger arthritide nequaquam vexabi-  
tur, præpedito illo aversoque humo-  
rum frigidorum in articulationes decu-  
bitu.

Dico tertio, tabacinum oleum aut tabaci  
folia articulorum commissuris applicata  
dolorem non sedare, sed tamen discutiendi  
exsiccandi que vim habere : hujus conclu-  
sionis prima pars manifesta est, quia ta-  
bacum nullam habet vim anodynam,  
aut narcoticam sive stupefacentem; II.  
autem pars à vitrahente & siccante taba-  
ci extra dubium est, quia tabacum in-  
signiter exsiccat. Utinam balnea ex  
tabaco topicaque alia experti essent qui-  
bus experieundi fuit occasio, in arthriti-  
de enim rara habemus experimenta ob-  
magnatum divitumque peculiarem affe-  
ctionem, podagra enim, ut ait apodus,  
in palatijs habitat; in vilibus autem ma-  
palibus, ubi degunt fortioris tempera-  
menti spernenda capita, experientiae  
sunt ineundæ.

Nullo tamen periculo folia tabaci  
ore detinebit æger, hic enim sumus in  
eo casu, ut fin minus medicamenta pro-  
derunt, certè non nocebunt : Remedij  
facilitas quæ spem tantam secum vehit,  
ad tentamenta invitat : probabile quo-  
que

que est utiliter admoveri partibus affectis oleum tabaci foliaque, quia habent vim penetrantem, discutientem, adstringentem, exsiccantem; calorem augent nativum, spiritum purificant, ejus activitatem acuunt, insitaque vaporituitam ferososque humores citè & suaviter expellunt. De balneo dicemus Exercit. 12. §. 2.

Hic autem corollarij loco faciam digressionem non inutilem arthriticis, ut iis vel levandis vel præservandis aliquid profim, ut cum non possimus promittere illius morbi curationem, saltem ejus mitigationem promoteamus.

Consuluit me Illustrissimus Comes NN. de sua podagra, ei author fui, jubaret ali meris salicum foliis capras aliquot, ut eorum lacte conficeret serum, quod distillatum, & benè asservatum septem, & octo mensibus sincerum esse potest, vnde & toti pene anno hac ratione possumus de sero providere: Mensibus singulis sumat sexta, septima, & octava die Lunæ, sive circa primam Lunæ quadraturam, sexta die unc. xij. septima unc. xvi. octava l. ij.: deinde diebus singulis per hyemem utatur hac conserva ore detinenda exonerando capiti.

174 EXERCITATIO. IX.

**L**. Succi tabacini p. ij.

Succi rorismarini partem j.

Sacch. q. s. siat conserva dosis 3. j.

Æstate autem, vel si quando nimio urgeretur calore, hanc sumat confectionem.

**L**. Succi tabacini

Succi rosarum

Violarum ana. partem j. sacch. q. s.  
fiat conserva, quæ ore detineatur.

Rationes, quæ me adduxerunt, ut illi  
hoc suaderem, prima fuit, rationibus, ex-  
perientiis & autoritate commendatissi-  
mus arthriticis seri lactis caprini usus.  
Secunda, quia salix, quæ necessario ali-  
menti commercio proprietatis suis  
lac imbuet, habet vim exsiccantem, ad-  
stringentem, & podagrericis commenda-  
tur à Dioscor. Tertiò, præscribo primam  
lunæ quadraturam, quia in illa phasi  
maximè cidentur ad exteriores partes  
humores pituitosi Vigente autem  
Canicula abstineat: at si major purgandi  
urgeat necessitas, sumat aliud medica-  
mentum purgans pro fidi medici consi-  
lio.

Conservam autem roremarimo im-  
misci, quia illi perutilis est rorismarini  
usus, præterea capite est satis frigido,  
humidissimo, & grandi. At cum, ut  
dixit

dixit Hipp. modica pituita æstate adsit, & calor aeris eam multum exsiccat, ideo moderandæ conservæ rosas violasve rosmarini loco præscripsi.

## EXERCITATIO X.

## De succo tabaci.

**I**N herbarum succo, ut proprio vehiculo, insita est omnium pene proprietas vis, ex Theophrast: paranturque succi, teste Sennert. *Inst. l. 5. p. 3. f. 3. c. 4.* ut sint tempore hyberno loco plantarum videntium: Singulari diligentia succus è tabaco politus expurgandus est, quod per colaturam potius, vel filtrum aut per insolationem, ut vocant, digestionemque quam albamine ovi faciendum: de hoc itaque succo, dicemus primò de ejus virtute purgante: secundò de usu pro vulneribus & ulceribus: tertiò de vi alexipharmatica: quartò cur inebriet.

§. I. De virtute purganti succi  
tabacini.

**P**Ituitam, & aquas, sive citrinæ sint sive crudæ, & crassam viscidamque con-

cretionem phlegmatis tabaco educi dis-  
ximus superius experientiis innumeris  
edocti : perquisituri verò sumus in  
præsenti ejus præparationem, dosim, in  
qua medicamentorum classe sit repos-  
endum, an pituitam vitream possit ex-  
pungere, qua ratione agat, deque exhi-  
bendi cautionibus.

Dico primò: Succus tabaci per dige-  
stionem potius, aut ad solis radios in vase  
bene obturato præparari debet, quam  
ovi albumine clarificari : debentque  
fæces ter, aut quater separari. Condem-  
no cum Quercetano *in pharm. dogm. re-*  
*sistit.* succorum clarificationem quæ fit ad-  
ventitio corpore, non autem nativo  
mixti motu, qui solis radiis disgreganti-  
bus heterogenea promovetur, sicuti in  
digestione contingit, aut in cineribus, vel  
*in B. M.* Succo depurato admiscere fac-  
charum, mel manna erit artificis naturæ  
corruptiones prævidentis.

Dico secundò, dosis succi est ab  
drach. j. ad drac. iij. pro ætatum, corpo-  
rum, & morborum ratione. Scio Dodo-  
næi amicum exhibuisse unc. v. sed id  
non approbo, imo 3. iij. abunde suffi-  
cisse experientia sumus edocti. Revera-  
cum in Hollandia, & septentrionis popu-  
lis exhibeant satis frequenter, pro pur-  
gante

gante tabaci succum vix unquam trans-  
grediuntur unc. 5. quam cerevisiæ unc.  
v. distemperant.

Dico tertio, tabacum est in secunda  
classe phlegmagogorum, non autem in  
prima quæ continet lenientia, vel tertia  
quæ complectitur venenosa. Hæc con-  
clusio fuit jam satis probata §. 6. Exercit.  
3. hic tamen confirmatur.

Illud est medicamentum furens quod  
longius excedente limites dosi occidit  
per hypercathartasim, de qua *Hipp. lib.*  
*de nat. hum.* qualia sunt colocynthis,  
scammonium, antimonium &c. atqui  
tabacum non occidit per hypercathar-  
tasim, ut probatur ex Dodonæo; qui hy-  
dropico feliciter exhibitas ait unc. iij. vel  
v. suci, ergo non est medicamentum  
tertiæ classis. Infra tamen supraque  
vehemens sequitur purgatio, quod pri-  
mæ classi nequaquam convenit, ubi sunt  
manna, violæ, rosæ &c. adscribendum  
itaque est secundæ classi cum sena, aga-  
rico, polypodio, aliisque, quæ recenset  
*Quercet. pharm. dogm. restit. c. 12.*

Dico quartò, tabacum primitam in-  
sipidam, falsam, citrinā, viscidam, sero-  
sam, crudam, aquafq; evacuat per vomi-  
tū, sputa, mucum, & secessum, proximios  
ribus scilicet omnia viis, vomitu qui-

H 5 dem,

dem, naso, & sputo ventriculum, thoracem, & caput levat; quod autem à venis, hepate, liene, mesenterio prolicit, secessu expurgat, quia scilicet compendiosissima via agit natura, quæ si quid facere potest per pauciora, pluribus non molitur.

Examinata celeritate qua tabacum incumbentes thoraci ventriculoque pituitos humores evacuat, vel per vomitum, aut prolicit per sputa, cum ex ægrotis meis duo ad id puncti essent redacti, ut per acutum morbum septimo die crisi infausta catharrus, è capite in thoracem decidens, ficeret deploratam affectionem, quam orechmum vocant, cum scilicet à capite veluti à sua metropoli pituita in pulmones tanquam in proprium vas decidit, iisque videarentur prognostico relinquendi, nam incipit fere hæc fatalis affectio à media nocte, qua hora pituita solet moveri, & plerique hujuscemodi ægroti occidente sole moriuntur à catharro suffocati, quod ferre non possint alterum pituitæ motum: quod si viribus valeant ad aliam noctem trahunt vitam.

Exhibui primo (Is erat plebeins ex Parochia Sancti Theodori) hanc decorationem.

24. Succi

**24.** Succi tabaci unc. ij.

Vini albi unc. vj. bulliant aliquantulum, tepidum detur alternis horis ad cochlear unum, vel alterum.

Ita non sivimus catharrum coacervari, sed pro ratione qua decidebat, è capite evomebatur, & expuebatur per os. Ille ergo cum valido esset pulsu, naturaque satis firma, hoc remedio est sanatus; cuius visitationem si mane illo prætermississē, aut distulisse ad vesperam, actum de illo erat qui nunc optimè valet.

Mulieri ex Parochia S. Gervasij cum pariter illa crisi fuisset conflictata, hanc exhibui decoctionem, quod succo caremus.

**24.** Foliorum tabaci unc. j. ss.

Fol. viridium lathyridis seu cata-  
putiæ minoris

quæ legantur omnia vellendo deorsum  
versus, unc. ss. vel pugi l. j. fiat deco-  
ctio in vino albo, exhibetur singulis  
horis cochlear unum. Hęc mulier triduo  
cum illo orechmo colluctata est, diu-  
que non intermissum remedium, nisi  
quod alternis postea horis dandum præ-  
scripsi, & evomuit catharrum om-  
nem, convaluitque. erat mulier æta-  
tis circiter 30. annorum, satis infirmæ

180 EXERCITATIO X.  
valetudinis, pulsu debili, temperamenti  
autem ex pituita, & melancholia.

Nota me legisse folia lathyridis deorsum versus radicem, hac enim ratione per superiora, non autem per inferiora evacuat, ut probavi in *disquisitione physico medica* de lathyrise, idemque de laburno. à se notatum scripsit Solerius apud Dalechampium l. i. hist. plantarum.

Dices primò, hæc contigisse ob vegetas ægrotantium vires, orechmo nondum benè formato. Respondeo, in omni medicamentorum exhibitione præsupponi naturæ vires, quas antea in aliquibus magnas deprehenderam, qui tamen orechmo sunt suffocati intra horas 12. quod autem orechma non fuerit benè formatum, Respondeo, Medici esse prævidere ne formetur, hic enim si unquam *Ocasio præceps est. aph. I.*

Dices secundò, vomitum esse nimis violentum. Respondeo, *quid interest, an remedium pericolosum sit quando est unicum?* ut ait Celsus: deinde impossibile est eam habere moram, quam requirit egestio per alvum, quæ non fit nisi aliqua in ventriculo concoctione longiori que distributione: homini enim, qui intra horas 12. mori debet, omne momentum prætiosum, & computandum, frustraque.

¶raque quisquam per alvum servare tentaret vel fata differre.

Illi autum ægroti vomitu, & frequenti expuitione fuerunt exonerati, secutus est somnus, post somnum exonerata alvus utrique, deinde convalescentia secuta, & licet evomuerint prima aut secunda vice, ipsum remedium continuatis tamen vicibus profuit, aliquid enim remanet, & cum ipso medicamento multa phlegmata semper ejecta.

Dico quinto, tabacum non expurgat pituitam vitream.

Quid sit pituita, quam Proxagoras proposuit sub nomine vitræ, quamque Philippus crudam malè appellavit, explicat Galenus lib. 2. de diff. feb. c. 6. dixitque esse speciem pituitæ, quæ multum sit tenax & frigida: deinde ait similiter aciditatem quandam participare. Ibidem ἵσως δε καὶ οὐ παλαιότεροι φλεγματικοῖς μετοχεῖς ποιοῦντος, quam sententiam male expressit Leoninus, sic enim dicit, Forte autem, & vitrea pituita acidæ qualitatis est particeps, cum dicendum esset absolute, similiter autem,



& vitrea pituita participat de acida qualitate. hæc verò pituitæ species omnium est tenacissima, crudissima, & quæ vix abradenti cultello cederet, quin aliquid relinqueret sui, sæuos autem dolores facit in intestinis, tormina, cæliacumque morbum adeo pertinacem, ut nonnunquam lethalis fit. Quod autem hæc pituitæ species tabaco non cedat, expertus sum in uno atque altero ægroto, qui cæliaco morbo, clysteribus acribus aliisque incidentibus pertinaciter resistenti conflicitati: judicavi autem à dolorum ratione, corporis habitudine, humoris pertinacia esse pituitam vitream, quæ id habet supra viscidam, ut acidum quid cruditatemque majorem habeat, & tenacitatem non inferiorem: tabacum autem primariò, & per se purgat aquas, secundò alias pituitæ species si vitream excipias: tamen si tabacum asaro commiseretur contra vitream, aliquid hoc auxilio virium obtineret.

Dico sextò, tabacum absque correctivo non exhibendum, quæ verò sint admissenda, indicavimus §. 6. exercit. 3. Macis corroborat ventriculum cui molestum est tabacum, idem cariophylli, cinamomum, zingiberisq; aura faciunt, sed mastix, styrax, quod à Gal. 8. simpl. in fluxio-

fluxionibus capit is commendatur, feliciter immisceri potest. Ros marinus, lignum aloes, lignum guajaci, aut lignum sanctum, maximè sunt opportuna. Oxi mel hispanicum, vinum, cerevisia, aqua sirupusque de Capil. Ven. betonica, aut pomis sabor vehicula erunt.

Dico septimò: quatuor sunt cautions advertendæ pro succi tabacini exhibitione. Prima ne detur mulieri gravidae, ob agitationis periculum. Secunda ne purus unquam detur succus, nisi forte quadrato cuidam rusticoduro de robore exciso. Tertia ante humorum præparationem. Quarta habeatur ratio temperamenti ægroti: si. n. sit sicciori bilioso que corpore, felicius alio purgante ute tur, nisi forte in casibus pene desperatis. Exempla præscribendi in discipulorum meorum gratiam subijcio.

*Pro catharro capit is.*

2. Succi tabacini 3. ij.

Pul. styracis flavi, solidi, sinceriq; 3. ff.

Cum aqua cinamomi q. f. f. p.

Vel 2. Succi tabaci 3. ij.

De coct. betonicæ, &

Ligni sancti unc. v. f. p.

*Pro thorace.*

2. Aq. capill. Ven. unc. iij.

Cinam. scrup. ff.

Masticis

184 EXERCITATIO. X.

Masticis gr. viij.

Succi tabaci 3. j.

Fiat digest. per noctem. facta colatura  
Dissolve mannae unc. ij. f.p.

§. 2. De succi tabacini usu pro vulneribus, & ulceribus.

**M**iram in his efficaciam prædicant omnes authores, & initio quidem tabacum pro vulneribus celebratum ferunt, deinde ad ulcera traductus usus.

Vulneribus autem dupli modo subvenit, primò extrinseca affusione succi in vulnus, secundò exhibita potionе vulneraria ex eodem succo, aut spissato diurna digestione, vel clarificato, vel aliis rebus commixto. De unguentis dicemus suo loco : patio autem vulneraria ita sit.

2. Succi tabaci unc. iiij:

Fol. hyperici m. j.

Vini albi tenuis libras viij.

Fiat decoct. ad tertias igne lento,  
Facta colatura propinentur ægro  
mane unc. v.

Modica tabaci portio admisceri debet,  
ne quidquam violentius commoveat.

Recentia.

Recentia vulnera nisi sint profundiora, dicunt duobus sanari diebus succo & spissamentis tabaci superimpositis, profundiora abluantur vino, deinde inflammatione sedata, intus & foris succus addatur: Quid ad ulceræ etiam inveterata valeat, plurimis experimentis probavit Nicotius.

§.3. *De alexipharmacica succi tabaci-ni virtute, & quibus venenis sit appropriatus?*

**A**mericani Carybes non alio contra venenata hostium tela utuntur antidoto, quam succo tabaci. Illi ad bellum ituri geminas secum deferunt cervorum soleas, quæ illis sunt pro vasis, alteram toxicum maligno, alteram peti succo implet: toxicum quidem adeo vehementis est, ut cute aperta sanguineque contacto momento temporis interimat, adhibito verò succo vel pulvere tabaci pèriculum evadunt. Cujus etiam rei experientiam fecerunt Hispani, qui vulnera maligna sublimato curabant, eoque deficiente (adeò nonnunquam felix est necessitas) à Carybe tabaco uti didicerunt, quo & dolor, & veneni vis sublata.

A.

## 186 EXERCITATIO X.

At cum siugulis venenis sua respondeant alexipharmacæ, non unum tamen veneni genus à tabaco expugnatur, ut recenset Everartus Antverpianus.

Tabacum enim habet vim alexipharmacam. Primò contra venenum illud Charibum nebis ignotum. Secundò contra helleborum. Tertiò contra opium. Quartò contra mandragoram. Quinto contra initia affectionis luis gallicæ, ita ut impune coeatur.

De veneno Charibum jam supra disimus. Contra helleborum refert Everartus Hispanis venatoribus consuetum fuisse ad feras interimendas hellebore tela inficere, quia præsentissimum est ipsis venenum. Philippus II. Monarcha naturæ vires nunquam non admiratus jussit, caniculam à venatoribus in gutture lædi, & in vulnus immitti helleborum, & paulò post tabaci succum, subinde vulnus componi: canis ille evasit cum omnium stupore, altero cane ex minori vulnere cui tabaci succus defuerat moriente, ad plenum experimentum.

Hellebore malignitati, mandragoræ, papaverisque eadem ratione subvenit, & si experirentur in aliis venenis cephalicis antidotum esset, quia cerebrum à tabaco

tabaco confortatur, & insigni velocitate  
meatus præoccupat, deinde insita vi ad-  
versarium expugnat. Hic autem ado-  
randa naturæ majestas, quæ occultam  
proprietatem in materia utrobique con-  
simili principiisque contrariis abdidit;  
ut ait *Cardanus l. I. de venenis c. 25.* For-  
ma rerum divinam sapis originem, quæ  
in caligine delitescens humanis sensibus  
non patet: humanæ sapientiæ pars est  
quædam æquo animo nescire velle: op-  
timique philosophi character agnoscere  
aliquid in naturæ arcanis raciocinationi  
non obvium. Nonnulli qui scioli vi-  
dentur, has occultas qualitates ignoran-  
tiæ asylum, & philosophiæ genuinæ ca-  
tenam laqueumque appellant, verùm ut  
ait Avicenna t. I. c. 10. de viribus cor-  
dis, *non magis scimus cur ignis calefaciat,*  
*quam cur magnes ferrum trahat:* utro-  
bique enim à forma vis calefaciendi, &  
trahendi profluit: formarum autem ori-  
go, & emanantium ab ipsis qualitatum  
ratio, supra humanam est disquisitionē.

Promisi etiam docere modum qua-  
ratione impune coeatur cum muliere,  
quæ lue venerea, cæteroqui contagiosa  
illa contrectatione inficeret: Scio quid  
de eo argumento dicat Fallopius tract. de  
lue gallica, securiusque est aliquanto lu-  
panar-

panar vitare, vetitoque amori resistere, quam tantum subire discrimen; verum ne libidinis sim author, & jam effrenem juventutem videar in malis faciliori via deducere, latino pudori parcens græcè scribam αὐτὶ καὶ μετὰ τὴν ἀφροδίσιην Δει Τε  
Εὐλάβεον-τῷ τοῦ πεβάκου ὅπως ἀθεκλύζεται.  
Si quid n. puris, vi abstergente & alexipharmacica expugnatur: Verum nunc temporis lues illa venerea ita mitescit, ut ex gravissimis illis symptomatis, quæ miseros atrocissimis doloribus vexabant, tria fere tantum supersint, bubones in glandulis pubis, gonorrhœa, & ardor urinæ, tolerabilia & facilia curatu mala, unde in eam venio sententiam, vix ullam post pauca lustra luem venereum superfuturam, vel abscedentibus aliorum stellis, aut diffuso per partes primo illius morbi seminario, nec ita ob sui dispersionem faviente.

§. 4. *Cur inebriet tabaci succus copiosè haustus?*

**C**Vm in exercit. 6. §. 4. de fumo tabaci inebriante disputaverimus, illuc lectorum reducens paucis me expedio. Tabacum infita à naturæ arcanis proprietate caput petit, ibi pituitam velutin sua

sua sede per vestigans errat necessariò, & vagatur, hinc mentis agitatio, sive ebrietas à lacesito organo: tum meatibus occupatis sua substantia, & prolicita pituita sensus obsidet, & somnum conciliat.

## EXERCITATIO XI.

De formis tabaci præparandi  
magis obviis in me-  
dicina.

**T**A-καλίπα- κάλλα, difficultia quæ pulchra ajebat Plato: ego verò in re medica pulchriora existimo remedia, quæ faciliora sunt, quia pronior usus majori experientiarum numero extra omnem dubitationis aleam eorum vires ponit: fiderem potius moderatæ diligentia, quam repetitis longisq; chymicorum curis, quæ arte non raro natu-ram corrumpunt: licet iis suis sit honos prætiumque eo mirabilius, quod brevissimo volumine expansam per mixta vim rerum colligant, & sub variis repræsentent formis. Haec tenus tabacum in fumo, vaporibus, pulvere, foliisque exhibuimus, nunc autem restant quæ

## 190 EXERCITATIO. XI.

quædam formæ, quæ in sacculo, balneo, pillulis, conserva, sirupo simplici, unguento, aliisque modis facile parabili-  
bus illud usui humano accommodat.

§. I. *Scuto, sacculo, & pileolo ex  
tabaci foliis.*

**O**ccidentalis Indiæ mulieres penes  
quas multum medicinæ est, stoma-  
chi cruditates flatusque dissipant, con-  
coctionem restituunt, ventrem emol-  
liunt admotis tabaci foliis posteriori an-  
teriorique corporis parti quæ ventriculo  
respondet. Oleo communi partem in-  
ungunt, dilatandis poris, tum folia sub  
calido cinere calefacta applicant, cinere  
non excusso, quippe qui tabaci vires jam  
sapit. Scutum autem paratum è tabaco  
cruditates tollit, crapulam discutit,  
alvum liberam reddit, ventriculum pi-  
tuita debilem reficit, appetitum auget.  
Sic itaque parari poterit pro iis quibus  
ventriculus humidior est frigidior-  
que.

**2.** Pulveris tabaci crassi vel foliorum  
siccorum p. iij.

Pul. feniculi p. i. Infuantur in bom-  
bace, fiat scutum pro regione ven-  
triculi.

Sac-

## DE TABACO.

191

Sacculus similiter pulvinaris loco esse  
poterit pro his qui frigidiori fluxioni-  
busque obnoxio sunt capite.

¶. Pul.tab. vel fol. sicc. partes ij.

Rorismarini, & majoranæ ana p. f.

Pul.betonicæ p. i. fiat pulvillus.

Si cui autem frigidissimum, & humi-  
dissimum esset caput facta prius evacua-  
tione universali , pileolum curet fieri,  
intersuatq; fol.tabaci, fol. & fl betonicæ,  
& stæchad. & deferat noctu , interdiu  
autem caput protegat, utaturque recta  
victus ratione, temporis enim successu  
multum persentiet adjumenti.

### §. 2. De Balneo tabaci.

**A**D luem Venereum inveteratam , &  
affectus corporis frigidos , sive qui  
nervos , sive qui musculos obsident,  
opportunum est suaveque remedium  
tabaci balneum, quod lue gallica affectos  
reddit aliquanto aptiores sudori , & ex-  
cernendæ lui, si videlicet sub vesperam  
sumatur ante coenam, sequatur inunctio  
opportuna , & quies in lecto. Podagræ  
etiam confert inunctis subinde oleo  
tabacino articulationibus. Sic autem  
paratur balneum : dulci tepidæ , adde  
tabaci nostratis siccata folia , & si lubeat  
aligs

192 EXERCITATIO XI.  
si lubeat alias appositae herbas, sive odori conciliando, sive moderandæ tabaci actioni.

§ 3. De pillulis tabaci, earumque usu.

**T**riplex pillularum simplicium è tabaco genus paratur. I. Ex pulvere tabaci aliquo liquore viscido in pillulas collecto. II. Ex succo tabaci incrassato & inspissato ad justam consistentiam, ut fit de aloë, & glycirrhiza. III. Ex electuário tabacino. Quorum omnium formulas hic habe, vel in bolis, vel in pillulis excipiendas. Eorum usus est ad expurgandam pituitam per inferius, & superius.

Vt 2*l.* Pulveris tabaci optimi 3. j.

Cum oximelite, vel melle fiant pillulæ duæ, quæ ita castrensi turbæ quadratisque hominibus dari poterunt.

Vel 2*l.* Succitabaci q. s. Incrassetur s. a. ad consistentiam solidam cum mellis p. 1.

Vel liquiritiæ succo protussi, & asthmate.

2*l.* Hujus succi 3. j.

Cum melle rosato sol. fiunt pillulæ.

Vel 2*l.* Pul. tabaci lib. j.

Styracis unc. ij.

Mannæ in aq. passularum disoluti q. s.

Fiat

Fiat electuarium, cuius dosis est ab 3. ij.  
ad unciā sem, exhibeturque vel in solo,  
aut dissolvi potest in vino albo, juscule,  
aqua citria, &c.

**S. 4. De conserva tabaci, ejusque usu.**

**D**Uplex conserva è tabaci foliis parari  
potest, altera sic se habet.

**Z.** Fol. tabaci videntium, & à venis co-  
stisque omnibus repurgatorum, &  
per dies tres in umbra repositorū ad  
superfluę humiditatis difflationē l. ij.  
Styracis optimi sincerique vnc. ij.,  
Cinamomi unc. j.

Sacchari optimi unc. vij.

Mannæ lib. i. f.

contundantur omnia in mortario, &  
diligenter permisceantur, fiatque massa,  
quæ soli exponatur in vase vitro bene  
clauso per dies 8. indura & finge ut libe-  
bit igne lento, dosis ab 3. j. ad 3. ii. ven-  
triculum mundat, asthmati, pectorisque  
frigidis morbis amicissima est.

Conserua autē altera paratu facilior est.  
**Z.** Fol. tabaci à venulis mundatorū lib. j.

Sacchari in consistentiam siripi de-  
cocti cum hydromelite q. f. lib. ij. fiat  
conserva.

Vsus hujus conservæ est, ut prolicien-  
dæ pituitæ causa in ore detineatur, sua-

## 194 EXERCITATIO XI.

vius enim fortiusque ager quam folia tabaci, quia scilicet adest saccharum, & folia contusa imbibito saccharo mitescunt.

Vel 2. Succi tabaci q. s. aquæ comm. modicū sacchari triplo plus, coquatur ad consistentiam solidam, addito pulveris ipsius tabaci aliquantulo.

## S. 5. De syrupo tabaci simplici, ejusq; usu.

**S**yrupum tabaci simplicem voco, non quod solutivus, & purgativus non sit, sed quia unicum habet basim, ipsum scilicet tabacum, cætera enim vel vehicula sunt, aut meliorantia. Is autem tripliciter paratur. I. modus vulgaris est officinarum, qui ita habet.

2. Succi tabaci p. j. clarificetur.

Adde sacchari p. ij. coquantur ad syrapi consistentiam. Hujus siripi in purgando vis est acris ventriculoque iniuncta, hinc vomitiones alvique effusiones faciet si detur ad unc. i. ut volunt: minori autem posse exhiberi poterit ad 3. ij. caute tamen quavis dosi illo utendum, quia nulla diligentia mitigata est succi tabacini ferocitas.

II. Modus. 2. Foliorum tabaci mundatorum quantum volueris, macerentur in aqua calida per dies duos, fiat expressio, & colatura. Iterum adde huic colaturæ

turæ calidæ alia folia biduo maceranda, fiatque expressio, & colatura, tum ad sollem subsidant fæces, quibus per inclinationem separatis cum saccharo coquatur ad consistentiam syrapi.

III. modus. 24. Succi tabacini lib. j. coquatur ad tertiaræ partis consumptiōnem, refrigerescat in vase obturato, & factis sedimentis biduo triduove per inclinationem separentur, & ex illo succo fiat syrups cum saccaro.

Hi quidem modi omnes optimi sunt, verum salutarem syrumpum hac paravī ratione pro Viro Clariss. & Nobiliss. Domino D. Gaspare Alifero Judice Ticinensi I. C. Mediol. Coll. Equite, & Comite, qui cum me de tabaci viribus interrogasset, audivissetque quanta sibi referrem, dixit mirabile sibi esse, medicos parum curiosos non fecisse de tabaco, quod de aliis plantis factitant, sua fitq; viaderem, qua potissimum forma exhiberi posset in potu: commodum verna tempestas jam cesserat æstati locum, & tabacum altius surgens foliis erat maturis ad sirupum. Jussi colligi luna descrescente prima folia, siccarique in umbra biduo, deinde exprimi succum, & ad sollem per dies quatuor exponi usque dum resedissent fæces, & vini colorem pene

I. 2                    acqui-

## 196 EXERCITATIO XI.

acquisivisset. Separatis fæcibus, addidi tertiam partem oxymelitis Hispanici optimi, iterumque per diem unum atq; alterum soli æstivo exposui in vase vitro, separatoque tantillo fæcis addita sacchari portione sirupum concinnavimus hac forma.

**L.** Succi tabaci præparati partes iij.

Oxymelitis Hispani partem j.

Sacchari p. ij. fiat syrups.

quæ parandi ratio differt à Quercetani formula: oxymel autem opportunissimum indicavi ad incidendam pituitam, ut omnia ad eundem scopum collimarent. Illustrissimus ille Dominus trispli conflictabatur morbo. Primò quidem ventriculi frigiditate tanta, ut nullo cibi appetitu unquam sollicitaretur, cæna semper abstinent. Secundò dolore capitis jam à 30. annis. Tertiò muscularum colli posteriorum dolore, qui semper mane ab catharro illuc à capite decidente magnam molestiam faciebat. Invisi illum sub autumni principium, misi vasculum hujus sirupi, ut fin minus uteretur, certè videret quam ejus salus omnibus bonis ad Reipubl. utilitatem chara esset, mihiique præfertim, qui ad titulos communes tot singularia beneficia ab ejus urbanitate

tate accepta addebam, præscripsi utendi modum, ut mane scilicet jejonus semi cochlear sumeret, mihi jam notas ejus vires quas in pluribus ægrotis feliciter essem expertus, certè nos esse in eo casu, quem Galenus medicos omnes jubet instueri, *ut si medicamentum non prospicit, certè non noceat.* Accepit ille sequenti die, & triduò iterum post, meque ad se vocatum certiorem fecit, evanuisse capitis dolorem omnem, rediisse ventriculo vires, sibi cænam necessario sumendam, & eam optimè concoqui, nullamque amplius in collo persentiri fluxionem, vel molestiam, sirupumque illum elicere magnam ex ore pituitæ copiam, deinde elapsis 18. aut 20. horis, alvum semel bisve subducere; tamque benigna aura se se perfundi ab hoc medicamento, ut quamvis annorum esset 58. totus tamen renovatus sibi videretur, recuperasseque juventutis vires.

Alias formulas siripi præparandi, sed tamen paratu magis arduas cumulabimus § 8. exercit. 12.

### §. 6. De unguento tabaci, ejusque usu.

**E**rbam per se unguentis efficaciorum esse, experimenta docuerunt, tamen

## 198 EXERCITATIO XI.

cum viridis herba non semper suppetat,  
varia è tabaco concinnantur unguenta,  
ad ulcera luis venereæ, ad cancrum, scro-  
phulas, perniones, fissuras manuum, ma-  
jori spe quam successu. Ut

**L.** Succi Nicotianæ lib. ij.

Ceræ novæ,

Olei communis &

Resinæ pini ana. unc. iiiij.

Olei hypericonis unc. ij.

Thuris unc. fl.

Bulliant omnia lento igne per hor. iiij.  
& facta colatura adde terebinthinae opti-  
mæ unc. ij. coquantur ad unguenti con-  
sistentiam. Vel

**L.** Fol. tabaci decrescente luna col-  
lectorum duabus aut tribus post solis ra-  
dios horis, ne rore madeant, expurgen-  
tur suis venuulis, & acuratè mundentur  
ad lib. ij., tundantur in mortario mar-  
moreo: Iis adde fevi hireini, ceræ novæ  
ana. lib. fl. bulliant & agitentur omnia  
simul, & sub finem coctionis adde tere-  
binthinae unc. iiiij. fiat unguentum. Aliæ  
formulæ cuivis erunt faciles paratu.  
Vide Vekerum, Quercetanum, aliasque  
pharmacopeas. Immiscent autem ta-  
baco oleum commune, ol. ipsius tabaci,  
oleum hyperic, resinam, mumiam, ca-  
rabes, colophoniam, ceram, sulphur tri-  
tum,

tum, salem, picem, resinam, medullam  
bovis, florem æris, crocum martis, salem  
fusum, rubiginem ferri. &c.

*Hæc formula optima est.*

**24.** Succi Nicotianæ depurati lib. j.

Styracis liquidi unc. j. fl.

Olei Nicatianæ

Ceræ novæ ana. unc. viij.

Fiat unguentum, quod ad vulnera &  
tumores digerendos emolliendosq; erit  
opportunum. Addi posset terrebintinum  
oleum ad unc. ij., Verum ulcera luis ve-  
nereæ & cancri parum feliciter tabaco  
tentantur, ut videbimus exercit. ultima.

**§. 7. De aliis formulis tabaci præparandi.**

**E** Tabaco omne omnino remedii ge-  
nus parari potest secundum medico-  
rum formas. Ex ipso enim suffumigia  
fieri, vaporationes, errhina, balnea, firu-  
sum, conservam, ungnenta, & linimen-  
ta (quæ duo ratione solius consistentiæ  
differunt) pillulas, scutum, sacculum,  
pilleolum, potionisque diximus: labo-  
riosiores formas rejicimus ad exercitat.  
seq. In hoc §. alias formulas executuri  
fumus, ne nostro operi videatur hoc de-  
esse. Sunt autem decocta, infusiones,  
oximel, glandes, clysteres, pessi,  
loc, &c.

*Potio purgans ex infuso tabaci.***24.** Tabaci nostratis siccii drach. iij.Vini albi si desit febris, si autem adsit  
Aq. betonicæ unc. vij.Fiat infusio per horas 20. facta expressio-  
ne forti & colatura iterata, adde oxymel.  
Hisp. unc. j. Fiat potio quæ alvum, ca-  
put, pectus totum, hepar, renesque pitu-  
ita purgabit, vomitum faciet ventriculo  
impuriori existente ; rusticis conveni-  
ens quadratisque hominibus poculum.*Decoctum tabaci.***24.** Fol. tabaci siccorum, vel viridiū m.j.

Vini albi q. s.

Fiat decoctio ad tertiae partis consum-  
ptionem, tum facta expressione, & colat-  
ura adde oxymel. squillit unc. j. detur  
ad cochlear unum, vel duo, pectori, ven-  
triculo, capitique à catharris vindicando.*Oxymel tabaci.***24.** Succi tabaci lib. j.

Mellis Hispanici

Aceti malvatici, vel generosi ana.

unc. xvij.

Coquantur ad despumationem mellis  
&c. jejuno exhibitum semicochlear  
mundat cerebrum, & pectus, appetenti-  
am excitat incisis humoribus viscosis, &  
crafflis.*Glans*

*Glians tabaci.*

24. Mellis ad spissitudinem cocti unc.  $\frac{1}{2}$ .  
vel 3. vj.

Pulveris tabaci 3.  $\frac{1}{2}$ .

Succi tabaci guttas xij.

Fiat suppositorium. alvum movebit, &  
pituitam intestinis, venis mesaraicis, he-  
patique affixam prolicet.

*Clyster tabaci.*

24. Fol. tabaci m. j.

Fiat decoctio in jure pulli gallinae  
cei pinguis q. f.

24. Hujus decocti unc. ix.

Succi tabacini,

Sacchari rubei ana unc.  $\frac{1}{2}$ .

Mellis violati

Olei communis ana. unc. ii.

Fiat clyster ad colicos dolores, à fla-  
tibus, fæcibus induratis, pituitaque; ad  
nephritidem, adstrictam alvum; aucta  
verò succi tabacini dosi, ut fiat acrior ad  
revellendum, in morbis capitis frigidis  
à pituita ortis, imo & in apoplexia, dum-  
modo non sit à corrosione, de qua Hipp.  
l. de glan.

*Pessarium tabaci.*

24. Fol. tabaci contusa q. f.

Involvantur, & fiat pessus.

202 EXERCITATIO XI.

Vel 2*L.* Bombacis q. f.

Melliis. & tabaci ana. q. f.

Fiat pessarium pro utero humidiori,  
descensu uteri, &c.

*Looch tabaci.*

*L.* Succi tabacini

Oximel. Hisp. ana. p. æquales , co-  
quantur aliquantum, deinde disslove  
manuæ optimi partem duplam. Fiat  
lambitivum pro affectibus pulmonum  
frigidis , morbisque pectoris. Reliqua  
omnia, ut injectiones in vesicam, boli,  
cerata, emplastra, cataplasmata, fomenta,  
epithemata, embrochi &c. satis superq;  
ex dictis colligi possunt.

EXERCITATIO XII.

De Chymicis circa tabacum  
operationibus.

**H**A&tenus è tabaco medicamenta  
paratu facilia exposuimus , jam  
autem ad Chymicos apparatus  
gradum facio : nihil enim fecisse nunc  
temporis videremur , nisi operosiores il-  
IAS formas exprimeramus typis, quarum  
laus est unica quod sub brevissimo vol-  
ume ingentes purasque simplicis vires  
colli-

colligant Verum sicuti in aliis formulis volui potius indicare modos, quam ut singulos exactè exequerer, inutilis enim & importuni laboris esset, ita & in Chymicis me geram: superfluis abstinendo, & quantum fieri poterit plagiatus: qui plures expetet, studeat illi arti, & consultat *Libavium, Beguinum, Crollum in Basilica Chymica; Danielem Sennertum &c.* illi enim indicabunt quanam ratione ex omnibus mixtis extracta fieri possint.

### §. I. De Aqua tabaci, ejusque viribus.

EX tabaco elici possunt aqua spiritus, & oleum, spiritus autem inter aquam & oleum est sicuti aëris inter aquam & ignem. Ut ergo perfectiorem aquam tabaci reddas,

2. Fol. tabaci mundatorum collectorumq; luna decrescente, contundantur, exprimaturq; succus, qui distilletur igne patente, colligatur aqua, feces calcinentur, & fiat sal, per quod fiat colatura, & philtratio, ita ut aqua suo sale condiantur; 2. hanc aquam, & superinfunde aliis foliis mundis frustatim concisis, & iterato distillato, itemque tertio. Fiet enim ut unica pars illius aquæ decem partibus alterius vulgari modo per simplicem fornacis destillationem elicite-

## 204 EXERCITATIO XI.

æquivaleat, neque verò destillatio in balneo M. facienda, quia herbæ calidiores & aromaticæ quas inter meritò tabacum recensemus, non ita feliciter in B. M. distillantur, earum enim vis profundius hæret, & experientia compertum, majoris aliquanto esse virtutis, si in vesica, quam vocant, destillentur.

Leo Suavius jubet colligi folia Julio mense, contundi, distillari in vase dupli- ci vitreis organis, insolari, & per annum assevari. Verum habenda est maturitas lunæque decrescentis ratio, non Julii.

Aquæ autem tabaci vires multiplices sunt. Primi ad vulnera, tumores, perniones, & ungues digitis sponte lapsos. Secundi purgat ut succus, dosis est ad scrupulum j. cum juscule. Tertiè habet vim penetrantem, unde in luxationibus, catharris frigidis, muscularum debilitatione, multum juvat si pars affecta foveatur.

## §. 2. De Oleo tabaci.

Oleum per infusionem sic paratur.

**L.** Fol. q. s. bulliant in oleo olivarium, fiat expressio, & colatura, cui alia folia munda immiscebis, & ad solem per 20 dies expones in infusione, tum iterata sint.

fiat colatura, & expressio insolatioque. Sed hæc olei parandi ratio non est chymica. Itaque 22. fol. tabaci viridia, vel sicca, sicca tamen plus olei minusque phlegmatis habent; adde salis q.s. affunde aquam, accensoque igne lento per horas duas tresve sub vesica destillentur: oleumque ab aqua separabis hoc pacto. Imple vas vitreum extracto tuo usque ad summum, deinde cum oleum supernatet, inde filum laneum crassius ut fiat veluti lychni fomes, & una extremitate fili in vas plenum immersa, alia in vacuum prona, sponte sua oleum per hoc vehiculum in vas abibit vacuum, separabiturque, sicuti contingit aquam separare à vino.

Hujus olei multiplex est usus; potissimum autem commendatur pro arthriticorum inunctionibus; pro renum collique doloribus, ad perniones, etiam nervorum, uteri frigidiorisunctu, pessorum illitu, sed valde parco, aliisque affectionibus, ubi digerendum, calefaciendum, discutiendum, maturandum, purificandum, confortandum.

### §. 3. De Balsamo tabaci ejusq; virtute.

Fragrantissimum ex tabaco componi balsamum scripsit Everartus; contu-

## 206 EXERCITATIO XI.

sis fol. tabaci, expresso succo, cum æqua olei olivarum portione: in phiala vitrea bene obturata soli expone diutissimè, vel repone in B. M. fimoque equino per 40. dies, renovato interdum fimo. Exactis quadraginta diebus balsamum reperies maximæ virtutis. Quercetanus aliud descripsit balsamum , quod & apud ipsum, & apud Neandrum, qui omnium formulas transcripsit, videbis. Duas ex meis subdo, prima facillima.

**24.** Tabaci viridis q. f. coquatur cum cera alba, & adipe caprino, exprimatur, idque repetatur quinques aut sexies, donec acquirat odorem, & colorem tabaci, postea adde oleum tabaci destillatum, fiat balsamum. Vel quia cera non probatur Crollio in balsamis , quod poros sua visciditate obstruat, spirituumque viam præcludat, ideo aliquis modus à Chymicis est excogitatus, quem ita tabaco licet adaptare.

**25.** Olei tabaci unc. j.

Tincturæ tabaci unc. fl.

Salis tabaci scupulum j.

Olei nucis moschatæ spiritu vini dealbati, & suis facultatibus exhausti q. fl. ad inspissationem in cineribus calidis faciem dam : loco olei moschatæ nucis accipi posset styrax liquidus cum balsamo Indico.

Vfus

Vsus ab oleo non differt, nisi quod penetrantius gratiusque balsamum est, & ad colicum dolorem cum oleo saponis Veneti umbilico imponendum commendatur, ad fluxiones frigidas, partiumq; debiliorum confortationem, itemque ad periostei frigidos dolores cum oleo terebinthinæ, & oleo amygd. dulcissimi: vulneribus præterea singulare subsidium.

§. 4. *De essentia, tinctura, extracto,  
spiritu, & aether tabaci.*

HÆC omnia simul jungimus quod parum inter se discrepent, essentia est optima mixti portio in qua pleraque ejus vires sunt implantatae, feliciusque operantur. Tinctura verò propriè est est cum rei non essentia modo, verum etiam color menstruo suo sive liquori qui ad elicendam essentiam adhibetur, transmissus est.

*Essentia tabaci.*

Essentia differt ab extracto, quod istud sit liquidum, hæc verò omnis consistentiæ esse possit.

¶. Succus tabaci q. s. digeratur in B. M. dum crassius sedimentum subsidit, & reliquus succus incipit rubere, tum separas

## 208 EXERCITATIO XI.

separatis fæcibus; digestio iterata fiat usque dum nullæ appareant fæces; tum verò destilletur in cineribus calidis in vitro, & servetur prima aqua quæ colligitur seorsim, deinde cum jam sexta pars evanuit, fiat alterius melioris essentiæ collectio, atque ita tribus differentiis distilletur. Dosis guttæ v. ad xij.

## Tinctura, &amp; extractum.

**Z.** Fol. tabaci siccii q. s. superaffunde menstruum opportunum v. g. spiritum vini, ita ut duos digitos emineat, fiat digestio in B. M. usque dum virtus sit extracta, & color, tum separato liquore fiat digestio, post digestionem filtratio. Si autem vis extractum facere potentius, eundem liquorem foliis aliis superaffunde. Sin magnam deinde vini spiritus partem separaveris, ut fiet necessario imbibitis aliis foliis, una & altera gutta potentissima erit.

## Spiritus tabaci.

Spiritus medium locum obtinet inter essentiam & ætherem, æther enim in sua activitate mitior est, spiritus magis sensibiliter subtilis est. **Z.** Folia tabaci viridia, conscindantur vel contundantur minutim, addatur parum fæcum succi tabac-

tabacini & parum aquæ tepidæ, fermentatione peracta, & postquam deferbuerunt, destillentur per vesicam, ab aqua destillata spiritus separetur, facta prima rectificatione per cucurbitam, hinc per phialam. Dosis à guttis iij. ad vij.

*De æthere tabaci.*

Æther plantarum mixtorumque quid sit dudum agitatur: Ego ut per transiens nam in re ardua meam opinionem exponam, dico ætheris nomine à me intellici potentissimam plantarum portionem, omni malignitate, & superfluitate separatam, ita ut nihil acris, nihil molesti habeat, & cum insigni suavitate fortissimè operetur. Quam astrorum syngenitam portionem non cuiusvis est separare, sed solummodo peritorum, eorumque qui diu cum Vulcano sunt locuti. Quærendum est an sit in tabaco, quantaque copia, & qua arte elici possit. Ætheris quatuor primas species ponit Cardanus lib. de æthere. Vini, mellis, mannae, chelidonii: cui nulla ratione subscribo, nam æther mellis & mannae ejusdem sunt fortis, ut satis à me probatum est in libro de mannae natura, & generatione. Probabilius est.

## 210 EXERCITATIO XI.

est dividere æthera rerum juxta quinque præcipua, quæ corpori humano inserviunt, ut aliud vino, alius pani, quem Fluidus extraxit, alius oeo, melli, & medicamentis adscriberetur. Omnia enim ad hæc capita possunt revocari.

Esse autem æthera in tabaco dubium non est, cum habeat humidum pingue, quo quæ destituuntur mixta in ætherem vix transeunt, Cardan. loc. cit. Deinde acris est herba aromaticaque, at quanta copia contineatur, vix aliud quam conjectare possumus, plurimam tamen esse ideo crediderim, quod multiplices adeò vires habeat; Et cum experientia nobis sit compertum, succi depurati partem quartam abire in essentiam, cæteram aquam esse insipidam & gravem, oportet duos constituere terminos, quorum media se habeant in proportione juxta propinquitatem ad alterum extremorum: Essentia autem illa triplicis est generis. Prima effluens valde vilis parumque efficax, secunda melior, tertia optima, quæque optimè ætheris materiam dabit. Ergo sumantur quatuor numeri, quorum quartus sit triplus reliquis simul sumptis, proportio verò eadem fiet, ut reliqui sint inter se in proportione quadruplici: sicut ut ex 840. unciis succi tabaci

## DE TABACO.

211

tabaci educantur æthereæ materiæ unc.  
x. ut patet ex hac numerorum demon-  
stratione.

Succus totus	-----	840	Quater 210.
Aqua insipida, & fæces	630	Hic num. cō-	
		tinet ter	210.
Essentia infima	160	Hi tres nu-	
Mediocris essentia	40	meri fa-	
Optima ætheris materia	10	ciunt	210
Summa	-----	840	

24. Itaque æthereæ materiæ unc. x.  
irculationeque diligent repurgentur,  
am videbis aliquid fæculenti & aquei  
erum adesse, eoque separato, habebis  
erum tabaci astrum, quod ætheris vim  
gneam referet, nam insensibili subtilita-  
e quidvis permeabit, & celerrimè quo-  
unque opus erit derivabitur.

Hic æther licet sit calidissimus, tamen  
non nocet ob sui tenuitatem, quo fit ut  
iam in morbis, vel qui in profundiori-  
us hærent partibus, vel qui inducas  
ullas dant, vel cum in mora periculum  
t, guttæ duæ tresve magno ægrotorum  
ommodo exhibeantur. In desperatis  
rechmis pituita præcipiti lapsu in pul-  
iones recidente tanquam ad vas pro-  
rium, ut diximus superius, auxilio  
erit,

## 212 EXERCITATIO XI.

erit, si opportunè maturèque detur con-  
stetque viribus æger, certè inducias cum  
morte faciemus: neque enim facile de  
ægris spem abjicere debemus, quia supra  
nostram scientiam aliquando natura va-  
let, & cum judicium sit difficile, non ita  
facile pronuntiandum; Ejusque sum  
opinionis, tentandum etiam aliquid in  
iis quos morituros putamus, quia melius  
est medicamentum perire, quam spem  
vitæ: neque dicas infamari remedia, quæ  
aliis fuere saluti, siquidem remedium  
omne ambiguum est, & illud idem quo  
convaluit Petrus, nihil aget in Paulo, qui  
morbum eundem patitur, sed intensio-  
rem, quia intentio & pertinacia causæ  
majus subsidium querit. Hunc itaque  
ætherem, essentiam, spiritumque tan-  
quam aliquid sacri suadeo non adhiben-  
dum temerè, sed cum magnis auxiliis  
natura eget, ut in veneno, peste, lue vene-  
rea, statim, aut paulo post coitum ad he-  
par serpente, ne radices agat, & aliis mor-  
bis, quos prudens medicus ex dictis di-  
cendisque facile colligit.

§. 5. De sale tabaci fixo, &  
volatili.

**T**Abacum calcina, calcem dissolve,  
transfundere, filtra, evaporare: habebis fa-  
lem

lem è tabaco. Verum ne ita levi manu rem pulchram transfigamus: Qui salem plantis inesse negant ipsi experientiæ, & rationi repugnant, imò nullum esse saporem, qui à proprio sale non oriatur existimo, ut videre est in meis placitis log. phys. & moralis, quæ anno 1647. edidi. Neque inventio nostræ ætatis est salem ex plantis confidere. *Aristotel. enim l. 2. meteor. sum. 1. c. 3.* cum de Chaoniæ fonte: qui de Herculis optione habet, ut in salem laxum, & nivis instar tenuem albumque excoqui possit, quod Burgundicis salinis etiam nunc contingit, ita loquitur *εἰς τὸν θερινὸν καὶ μέσον* &c. *Est aliquis locus in Umbria, in quo arundo, & juncus sponte nati: hos igitur comburunt, & cinerem mittentes in aquam decoquunt, cum autem certa pars aquæ evanuit, hoc refrigeratum copia salis fit.* Quam itidem in tabaco rationem salis eliciendi imitari possemus. Verum cum recentiores antiquorum inventis multa addiderint, sic eliciemus salem è tabaco volatilem, qui ita dicitur, quod ignem non sustineat, sed calcinatione discutatur.

24. Fol. tabaci magnam quantitatem, coniunde, affusaque multa aqua coque in vase magno, decoctum coletur exprimatur

## 214 EXERCITATIO XI.

maturque, hæc colatura coquatur ad mellis consistentiam, reponaturque in vase vitro in loco frigido, ubi scilicet asservatur glacies, & nix, & sal pulcherissime concrescit instar crystalli, estque multo efficacior illo, qui ex cineribus eluitur. Vel

24. Folia expresso jam succo, vel si velis destillatione exhausta (ea enim utilia sunt) comburantur in olla fictili clausa; ex cineribus per aquam puram fiat lixivium, & aquam toties affunde, dum falsedo omnis sit extracta, hoc lixivium filtra, & in fictili ad carbones lento igne coque, ut aqua exhalet, & sal relinquatur, quem si puriorem & album velis facere, saepius solvatur, filtretur, & coaguletur.

Sal autem fixus fit post calcinationem igne forti, quæ diffusius explicare vides tur mihi inutile, cum in omnibus plantis unus pene idemque modus possit adhiberi. Verum è tabaco magna salis copia elicetur, quod ex ejus acrimonia facile conjicimus.

Salis plures sunt usus. Primò pro caustico est innoxius, secundò ad maligna ulceræ dissolvenda parum corrosivus, tertiò est optimus clysterum acriorum stimulus si duo aut tria grana addas,  
quartò

quartò medicamentis purgantibus calcar erit , ut si ignaviora sint celerius agant.

Chrystallinos è tabaco lapides elici dos cet Neander Tabacolog. p. 85. ejusdemque cum sale esse virtutis ait , sed non puto differre à sale volatili , quem primo descripsimus, laboriosioremque facit descriptionem , quam ibi poteris videre si tibi difficultia placent.

*§. 6. De variis succi tabacini foliorumque condituris , ut sirupo de essentia , sirupo digesto , manna tabaci &c.*

PRO sirupo de essentia 2*L.* Simplicis tabaci partes iij. Oxi melitis simplicis partem j. Mannæ , & sacchari ana. partem j. *fl.* fiat sirupus , cuius dosis est semi cochlear: purgat autem pectus & caput à pituita, Vel

2*L.* Succi tabaci decrescente luna collecti q. s. infoletur per triduum , deinde separatis fæcibus adde oximelitis simplicis portionem subduplam , fiat digestio in B. M. iterumque fæcibus separatis iteretur digestio , tum verò adde sacchari partem tertiam , coquatur in consist. siripi. Pro Illustrissimo , Præside Excellentissimi Senatus Mediolanensis

216 EXERCITATIO XII.

nensis Domino Octaviano Picenardo ita  
composui ad catarrhum, qui senectutem  
eius vexabat,

24. Fol. tabaci optimi mundati unc. iiiij.

Aq; betonicæ bis in vitro distillatæ  
unc. viiij.

Seminis carthami mundati, unc. j.

Fiat infusio per dies tres ad solem, aut lo-  
co tepenti, vel donec extracta sit tabaci  
virtus, & tinctura, facta expressione  
forti.

24. Julep, capill. Ven.

Sir. stæchados ana, unc. ij,

Fiat digestio in M. B. per horas 24. sepa-  
rentur fæces, itere turque digestio donec  
nihil subsideat, fiat colatura.

24. Hujus colature p. iiij.

Oxymel. Hisp.

& facch. ana. p. j.

Coquantur ad consistentiam siripi,  
cujus dosis est dimidium cochlear tertio  
quoque die, aut saltem in lunæ quadratu-  
ris exhibendum jejuno. Prò Eminen-  
tissimo Cardinali Cœfare Monti Archi-  
episcopo Mediolanensi, quod capit is sit  
ficcioris, temperie scilicet ad prudenti-  
am summam commendabili, ita com-  
posui ad ejus catharrum evacuandum  
mitigandæque tabaci ficitati, ut præ-  
ter oxymel, & aquam betonicæ quæ  
fuit

fuit pro menstruo, addiderim Sir.ros.sir.  
de capill.ven. ana. partem 4.

Sin autem mitissimum, & potentissimum vellemus pro morbis pectoris prescribere medicamentum, oporteret elicere essentiam mannae, & cum aethere tabaci ana, conficere liquorem, cuius dosis essent guttae viij. vel xvj. in juscule pulli, proque delicatioribus major mannae portio subderetur, minor tabaci.

Reliquas omnes medicamentorum formulas exequi, laboris esset vani, cum hujusmodi rationes in infinitum fere possint multiplicari ab iis qui pharmacopæam, chymiam, & materias medicinales noverunt.

## EXERCITATIO. XIII.

### De radicibus, floribus, & semine tabaci.

**N**aturæ opera sunt ut Deorum convivia, ubi neglecta ciboru fragmenta omni pretio digna sunt, in solis haec tenus tabaci foliis tanquam in ferculo triumphi contéplatio nostra detinetur, cætera herbae istius pompa videtur etiam admiratione digna, nedum oculis. Primus om-

K nium

## 218 EXERCITATIO XIV.

nium in tabaco nihil esse inutile docuit. Leonardus Fioravantus accepit integrum tabaci plantam, radicem, caulem, folia, flores, seminaque omnia contudit, erantque unc. L I V. reposuit per dies xxx. in fimo equino, admixto salis aliquantulo ne putrescerent, & aquæ vitæ unc. vj. omnia subinde in M. B. distillavit ad omnis humiditatis extractionem, utque melius servari posset, addidit olei sulphuris usque dum acesceret : hacque compositione variè est usus, febricitantes quocunque febris genere hausta cochlearis mensura valetudinem recuperabant, vulnerati læsique hausto vel affricto hoc extracto curabantur : quæ utrum ita se habeant majoribus experimentis explorare vellem : Videtur autem , Fioravantus robustissimis naturis usus ; Robusta autem natura erratis medicorum feliciter uti potest.

## §. I. De radicibus tabaci.

**R**adicibus tabaci expurgari bilem, eorum scilicet lignosa medulla, nemo hactenus absolute assertus: suspiciati sunt multi , corticemque ad melancholiam esse destinatum , quod Fioravanti vindicatur concludere experimenta, neq; enim tertiana curabitur phlegmagogo, aut quar-

quartana; at cum sola contra pituitam vis sit in foliis, cæteras vires in radice fitas conjiciunt; sed nulla ratiocinatio ad tertiarum, quartarumque qualitatum notitiam dederit, sistiturque quidquid philosophorum est in primis & secundis qualitatibus explorandis sensu & ratione, aliæ enim solis experimentis patuerunt, qua propter de radicum in eo genere viribus nihil hactenus certum habemus.

### § 2. *De floribus tabaci.*

**F**Lores tabaci oculorum frigidis morbis auriumque catharris optimos esse, compertum: ex his itaque fiat conserva.

**Z** Fl. tabaci q. s. macerentur in spiritu vini per horas 40. & cum saccharo fiat conserva; vel alterius conservæ vulgari modo præparetur, addique poterunt eufrasiæ flores, & feniculi pulvis. Flores plantarum linguam appellavit Crollius, infundibulum autem cerebri glansque pituitaria tabaci floribus adumbratur, quod idem esset acsi planta sese cephalicam prædicaret.

### §. 3. *De semine tabaci.*

**E**X sem. tabaci lib. j. fiunt olei unc. iij. quo diros prodagræ cruciatus Porta levavit, lib. 8. mag. Theodorus

220 EXERCITATIO XIV.

Zwingerus ex seminibus tabaci contusis, & per triduum in aqua maceratis oleum parabat, quod cum oleo terebinthino ad ulcera vulneraque adhibebat, utrum recte, consulatur Hip. de ulcerib. f. 6. Ego potius uterer ad inunctiones in affectionibus frigidis, ut ischiade, muscularum doloribus in senili ætate, tumoribus cœdematosis : pro rubore faciei specialius commendatur à Neandro.

Ad venena, & morsus viperæ in modica quantitate epotum celebratur ab Everarto. Habet autem semen tabaci vim soporiferam si ad cochlear dimidium devoretur antequam nocte eatur cubitum.

EXERCITATIO XIV

Enarratio omnium tabaci virium.

**P**lerasque tabaci vires ejusque parandi formas exposuimus: illudque plurimis singularibus prædictum esse dotibus probavimus authoritate, ratione, & quæ his pondus addit experientia. Nunc autem per singulos morbos quibus auxiliatur, diva gari operæ pretium est.

Cen-

Centum & amplius recenset Neander:

1. ad catharrum capitis frigidum, ad memoriam firmandam, purgandam vomitu & secessu pituitam, cephalæam à plethora, vermes capitis, ruborem faciei, tinea capitis, lichenes, capitis pediculos, phtyriasim, porriginem, achores, favum, dentium dealbationem, oculorum suffusiones, cicatrices, maculas, fluores, hebetudinem; 2. surditatem, aurium dolorem, ulcus aurium, tinnitus vermesque, 3. narium odorem fœdum, polypum, lethargum, vertiginem, stomachacem, tonsillas, aphtas, gingivarum ulcera, fistulam, dolores, epilepsiam, crapulam, faucium ulcera, ranulam, 4. dentium dolorem, broncoelen, asthma, anginam pituitosam, scirrodem, suppuratoriam, 5. tussim, puris viscidis è thorace ejectiōnem, phtysim, ulcera pulmonum & pectoris, peripneumoniam, empyema, hæmoptisim, ventriculi imbecillitatem, jecoris frigidorem temperiem humidioremque, dolores renūm à flatū, à pituita, 6. pro pleuritide, pro syncope, strumis, mentagra, arthritide, pro sudorifice, si dentibus atterantur folia siccā, tantam enim sudoris copiam c̄jent, ut corpus disfluere credas, pag. 151. pro lue venerea, lumbricis, renūm calculo,

## 222 EXERCITATIO XIV.

dysenteria, colico dolore, & iliaco, tenesmo, pro doloribus uteri, suffocatione matricis, partus difficultate, aqua intercute, febribus tertianis, quartanis &c. 8. ad Thymos, carunculam vesicæ collo adnatam, hæmorrhoides curandas, & profluentes reprimendas, gangrenam, œdema, lupum, herniam, contra pestem, bubonem pestilentem, herpetes, verrucas, clavos, unguis digitis lapsos, cirones, perniones, vulnera, ambusta, ulcera, & gangrænas pecundum. Atque hæc 100. morborum genera à tabaco sanari contendit Neander, quibus addit etiam valere ad urticæ ictus, morsum canis rabidi, mures gliresque eo perimi, cimicesque, pulmonum marinorum ictus sedari, malum in equis serpens corrigi, seque propositorum remediorum potissimum partem usu & experientia exploratam habere affirmare audet pag. 202. quod mihi grande videtur, & pene vanum injuvene annorum 26. uti Neander erat cum hæc scripsit: nam experimenta multoties repeti debent. Addamus tabacovires refici, somnum conciliari, somnia induci, famem satis que sedari, unde non immerito vocavit Panaceam Everartus. Verum ne totius operis fructum perdamus, hæc omnia.

omnia ad examen aliquod revocanda,  
videndumque quid sit tabaco singulare,  
aut quibus qualitatibus tot morbos cu-  
ret, nam etiam si proposita ab Neandro  
remedia fuerint ab ipso usu & experien-  
tia comprobata, tamen contendō iis ad  
tabaci commendationem viresque extra  
dubium ponendas vix quidquam evinci  
posse, cum suarum compositionum pene  
omnium multiplex sit basis, ut insinua-  
vimus Exercit. §. 4. Itaque ut aliqua  
methodo procedamus in hac Exercit. §.  
1. dicemus quid possit tabacum contra  
morbos universales. 2. quid contra mor-  
bos particulares internos 3. quid contra  
externos. 4. Censura severiori perstrin-  
gemus qua in re illi fidendum.

§. 1. *Census morborum universa-  
lium, & à tota substantia quibus  
tabacum subvenit.*

**M**Orbos universales hic voco nō stri-  
cta significatione, sed quoscunque  
qui vel universum corpus afflis-  
gunt, aut qui latè vagantur.

1. *Ad Febres.*

Febres omnis generis tabaco curatas à  
se dixit Fioravantus, ut exposui Exer-  
cit. 13. Aqua ex foliis peti stillatitia

224 EXERCITATIO. XIV.

rustici multi febre liberati apud Dodonæum. Senator à Platero febre tertiana intermittente liberatus, itemque alius plebeius. obser. med. pag. 973, & 285. In quartana ante paroxysum aqua ex floribus, & foliis tabaci stillatitia datur ab Heurnio in lib. feb.

CENSURA.

*Concocta medicari non cruda*, ait Hipp. unde concedo pro purgante subducendis materiis præparatis exhiberi posse tabacum, quod licet primariò, & per se purget pituitam, tamen secundariò alios etiam humores expugnat omnium purgantium fortiorum more: exigit tamen validum temperamentum viresque vegetas: nam quod de tertiana intermitente habet Platerus, potuit id esse morbi genus, quod quovis alvum solvente sanaretur, tertianæ enim hujusmodi facile curantur; & periculo vacant; multoque tutius est præparatis humoribus rhabarbarum, & rosas, quam tabacum exhibere. In febribus tamen longis complicatisque ita institui posset purgatio stantibus viribus,

2. Senæ oriental. mund. 3. iij.

Aquæ tabaci stillatitiæ unc. ff.

Cinamomi, macis ana. scrupulum ff.

Eiat

Fiat infus. in vase operto per horas 24,  
facta expressione, & colatura adde si-  
rupi de cic. compositi cum Rhabar-  
baro unc.j.f.p.

Oleum tabaci pro spinæ dorſi inunctio-  
ne adrigores & horrores conducit febri-  
les. Semen tabaci ad vigiliás moderandas.

## 2. AD HYDROPEM.

Succo tabaci quatuor, aut quinque  
unciarum pondere epoto sanatum hy-  
dropicum scripsit Dodonæus: *alvus in-*  
*quit, vehementer turbata, & profundus*  
*somnus secutus: fuit autem qui assumpit*  
*rusticus mediæ ætatis, fortisque, aliam ex-*  
Weckero aquā proponit Neander, quam  
detabaco parum evincere contendo, cum  
habeat tredecim bases præter melioran-  
tia, vehicula, & correctiva, remoto enim  
tabaco erit itidem ad aquas hydropico-  
rum subducendas apposita.

## CENSURA,

Expertus sum in hydropica muliere  
tabacum, postquam desperatæ esse vale-  
tudinis monuissem, eduxit tantam aqua-  
rum copiam, ut quamvis in exigua dosi  
exhibuisssem foliorum decoctum ex vi-  
no albo, tamen ita debilitata est, ut vi-  
ribus omni ratione fuerit providendum,

K 5 inter-

326 EXERCITATIO XIV.

intermittendaque ejus curatio, dum reficeretur, at cum jam esset morbus inveteratus, ipsaque debilis, & ætatis declinantis, mense uno post obiit; quare non dubito, quin vegetam fortemque ætatem tabacum juvaret, aquasque hydropicorum exauriret feliciter, si morbi nondum inveterati initio propinaretur, sirupique usus præservativum est ne hepar eam intemperiem, quæ hydrozem facit contrahat.

3. AD ARTHRITIDEM.

Hunc morbum voco universalem, quod per totius corporis articulationes diffundatur. Quid autem possit ad podagram, diximus suo loco. Oleum tabaci ad podagricos dolores commendatur à Porta. Platerus facit cataplasma cum fol. nicotianæ contusis. Oleum istud tabaci à D. Posthio scribit Neander.

2. fol. tab. lib. j. coq; in ol. comm. lib. ij. ad consumptionem, cola, adde ranas viventes palustris num. 12. lumbricorum terrestrium unc. iv. coque, in fine adde spiritus vini unc. ij. fiat oleum pro inunctione arthritidis. Mihi securius, videtur oleum tabaci simplex cum oleo de ovis.

CEN.

## CENSURA.

Prophylacticæ arthriticorum curatio-  
ni multum inserviet tabacum , podagræ  
autem dolores non mitigabit , cum ha-  
beat vim discutiendi & trahendi , sed  
breviores faciet . Prodagra verò nostram  
haetenus artem suis nodis veluti gordia-  
nis distinet , & eludit ; incipientem cu-  
rare in viro obsequente non ita est ar-  
duum . Hippocrates . l . 2 . prognostic . num .

15.

4. *Ad luem venereum.*

Pro biliosis , & melan cholicis nequa-  
quam exhibendum , pro aliis autem in-  
cipiente morbo utile erit tabaci suffu-  
migium , aut sudor siccis foliis dentibus  
attritis elicitus : quæ opinio Neandri est ,  
nititurque rationibus validis .

## CENSURA.

Ad præcautionem ne contrahatur  
lues venerea , quomodo sit adhibendum  
diximus Exercit . 10 . § . 3 . tutius san-  
ctiusque prophylacticum scortis absti-  
nere . Cæterum ligno sancto , guayaco ,  
& sarspariliæ potius quam tabaco con-  
fidendum , illa enim propria sunt alexi-  
pharmacica , tabacum autem ideò tan-  
tum conferre censetur , quod habeat  
vim excernendi pituitam .

K 6

5. Ad

## 5. AD VENENA.

Quot modis subveniat venenatis affectionibus diximus variis in locis, sed iis præsertim venenis resistit, quæ caput primò, & per se petunt, ut helleborus, mandragora, opium, solanum, & quidem, vel illitus vulneri, morsuive succus, aut epotus sanat.

## CENSURA.

Tabacum alexipharmacum esse concessimus superius, at illi propriam vim esse contra tot venena, negamus, contra vulnera helleboro infecta valere certū. Si autem aliquot hausto veneno sanavit, idē sanè quia vomitum concitat alvumque subducit, quo factum ut cum illis evacuationibus ejectum sit etiam venenum : Sic autem Mercurius, qui ipse medicamentum est ambiguæ fortis, venenum aliud expulit ob commotiones quas in corpore fecit, quibus & aliud venenum & ipse adeo Mercurius sunt ejecti, de quo pulcherrimum epigramma Ausonii extat.

*Toxica zolotypo dedit uxormæcha marito.*

*Nec satis ad morte credidit esse datum,*  
*Miscuit argenti lethalia ponderavivi,*  
*Cogeret ut celerem vis geminata necem.*

Hac

Hæc duo si sumas faciunt discreta ve-  
nenum,  
Antidotum sumit qui sociata bibit.  
Ergo inter se se dum noxia pocula cer-  
tant,  
Cessit lethalis noxa saluti feræ,  
O pia cura deum ! prodest crudelior uxor,  
Et cum fata volunt bina venena iurant.  
Contra attractos nafo oreque haustos  
Mercurii halitus prodest tabaci fumus.

## 6. AD PESTEM BUBONEM- QUE PESTIFERUM.

Heurnius vir utique extra doctrinæ  
aleam positus , tabacum commendat  
contra pestem , *L. oxalidis , nicotianæ ,*  
*rutæ ana. macerentur vino calido per ho-*  
*ram , & apjecto citriorum succo propinandū*  
*in peste . Fumum tabaci expurgando aës-*  
*ri commendat Neander exemplo Hippo-*  
*qui lignis odoratis , & unguētis ardentib .*  
*Athenas liberavit pestilentia , unde , &*  
*corona aurea aureorum milledonatus , &*  
*publicam pensionem quæ ipsius sublimi*  
*alendo gradui sufficeret , accepit pro ho-*  
*norario , ut patet in decreto Atheniens .*  
*quod extat in Hippoc. epist. nu. 41 . Ad*  
*bubonem pestilentem similiter com-*  
*mendatur , admixtis pro cataplasmate*  
teret.

230 EXERCITATIO XIV.

terebinthina, theriaca, ruta aliisque, ut  
melle rosato, farina hordei, pimpinella,  
senecione, apio &c.

CENSURA.

Ruta unica contra pestem plus potest  
quam tabacum, unde miror Heurnium  
præscribere nicotianam, cum non sit  
indicatio purgandi, quod tamen ab hu-  
jus herbæ commercio e fiet: cis-  
trium malum utpote cardiacum, opti-  
mum, & contra pestem antidotum, illi-  
que unico considerem magis quam taba-  
co. Quod autem de fumo tabaci ad aëris  
expurationem præscribit Neander, in-  
utile est, si quidem plus lignum junipe-  
rinum, acetique fortis odor aliaque pro-  
derunt; non eo tamen inficias, fumum  
tabaci aliquid conferre posse, & illo, de-  
ficientibus aliis, utendum censerem,  
id enim facit tantum, ut aromaticum sit,  
non autem quod habeat vim pesti illi op-  
positam, tot enim fere pestium sunt ge-  
nera quot venenorum: videturque di-  
versos malignorum siderum afflatus sin-  
gulis seculis novas pestis formas ad me-  
diorum stuporem in mortalitatem no-  
stram conflare: quod de Diana finxit  
elegantissimus Guarinus nel Pastor fi-  
do.

oud.

ond' ella prese

L'arco possente, è saettò nel seno.

Della misera Arcadia non vedesti

Strali, & invitabili di morte.

Ubi pestem nimia humiditate ortam  
fingit à Luna, sicuti Homerus ab Apolli-  
ne nimio æstu prodiisse cecinerat in Ma-  
gni Agamemnonis castris.

Ad bubonem præscripta à Neandro  
medicamina mala non sunt, sed cum il-  
lorum basis potissima non sit tabacum,  
quid in hujusmodi morbis possit, non  
ita facile dictu est, cum formulæ illæ eli-  
minato tabaco satisfaciant indicationi.

### §. 2. Morbi particulares interni qui- bus tabacum subvenit.

#### I. DESTILLATIO CAPITIS.

**C**Atharrhum capitum frigidum curat;  
& in ea affectione nullum fidelius re-  
medium exhiberi posse contendit Nean-  
der; fumus, vapores, sirupus, conserva  
&c. conferunt.

#### CENSURA.

Habenda est ratio temperamenti, quia  
scilicet temperies si sit calidior siccior-  
que præsertim in ventriculo, plus  
noce-

## 232 EXERCITATIO XIV.

nocebit quam proderit. Biliosis hominibus abstinentum est tabacum, & siccioris habitus viris, vel si adhibendum sit, insistant tantummodo morsulis, masticatoriis, tabulis &c. quæ ore detinentur ad sputa promovenda, & pituitam è capite proliendam; Mihi planè qui studiosorum more capite sum catharris obnoxio, summopè semper nocuit tabacum, neque illi unquam potui assuefieri, licet id sxp̄ius tentarim, & effictim desideraverim ex ficcando capiti reddere familiare.

Præterea notatu dignum est, non omnem omnino pituitam à tabaco prolici, sed primario & per se trahit crudam & aquosam, si autem sit falsa pituita ad miscetur commodè falsapariliæ tremor cum saccharo tabacato; ad citrinam pituitam adde santolorum omnium pulvverem, ad pituitam bile subaspersam lignum aloes, quod orientalibus cum tabaco adhibere ad fumum gratiorem faciendum solitum est.

2. *Ad Cephaliam à Plethora.*

Commendatur errhinum pulveris, foliorum masticatio, ipsumque adeo tabacum, quacumque forma sumatur, est enim herba cephalica. Succum naribus forberi

forberi jubet Neander, sive purus sit  
sive aqua vitæ dilutus, deinde facit elixir  
phlegmagogon è capite, cujus cum plu-  
res sint potentissimæ bases, nihil pro vi-  
ribus tabaci probat, sublati enim quas  
addit Nicotianæ 3. ij remanet medica-  
mentum indicationi satisfaciens.

## CENSURA.

Primo quidem nullo modo approbo  
aquæ vitæ usum in plethora capitis, vi-  
num enim omne caput replet, & id quod  
maxime est ipsa vini essentia, *nam pro-*  
*ppter quod unum quodq; tale, & illud magis.*  
Deinde quod præscribit nasale ex foliis  
siccis tabaci, neque id contineri potest  
ob sternutationem nimiam, quam mo-  
veret insuetis. Iste quidem cavet ne ocu-  
li male habeant, verum si tabaci fumus,  
vel vapor oculis proderit, neque ipsa sub-  
stantia nocebit in modica quantitate.  
In morbo ergo capitidis à plethora oportet  
videre, an sit sanguinea, an pituitosa, an  
à flatibus, si sit sanguinea, indicat san-  
guinis missionem, quod tabaco non fiet,  
si pituitosa, rursum distinguenda, num  
cruda, aut insipida, an egeat præpara-  
tione, nec ne, plethora autem à flati-  
bus alio medicamento eget diaphore-  
tico.

Ad

## 3 Ad vermes è Capite.

Vermiculos delabente muco è capite expressos succi tabacini beneficio testantur Monardes, & Renalmus, in veteratū que capitis morbum ea ratione curatum, aliis remediis frustra adhibitis. Hos vermes in processibus mammillaribus, aut glande pituitaria genitos crediderim.

## CENSURA.

Hæc curatio omnino fortuita est, neque enim possumus conjicere oriri à vermis dolorem capitis, cuius si causa perspicua fuisset, alia adsunt remedia vermis interimendis magis appropriata, vheméti sternutatione excidisse hos vermiculos crediderim, neque enim interemptos tabaco fuisse scribunt.

## 4 Ad oculorum suffusiones.

Jubent oculum affectum suffumigari peti fumo, alio sano clauso, oculumque aqua tabaci tepida abstergi, prævia prius purgatione corporis.

## CENSURA.

Periculissima est hæc praxis, Neander, siquidem trahis humorem peccantem ad partem affectam, & cum humor faciens suffusionem sit viscidus, cumq; tabaci fumus magnam exsiccandi

di vim, modicam autem incidendi ha-  
beat, fiet, ut hujusmodi pravus humor  
concrescat, & induretur, neque legi-  
timis remediis cedat. Subscripsisse  
si jussisset ore folia detineri, quia retro-  
cedit humor, & ejus cursus intercipi-  
tur, additoque setaceo de suffusione  
nondum confirmata multum potest  
sperari, ut quotidiana experientia  
compertum est:

5. *Ad oculorum Cicatrices, maculas,  
Rhyas, fluxus, hebetudinem.*

Quamvis aliqui ex his morbis exter-  
ni sint, tamen, quod ejusdem sint po-  
tentiae visivae, adunandos nullo seru-  
pulo putavi, praescribit ad cicatrices  
oculorum minuendas myrrham, sac-  
charum candum, & tabacum, sive suc-  
cum, sive aquam, & fieri collyrium  
jubet, abluendum aqua tabaci oculum  
ad ejus maculas, ad Rhyas aspergen-  
dum pulverem, in epiphoris, seu la-  
cryma errhinum, & fumum: Senes  
etiam oculorum hebetatorum restauratio-  
nem senserunt succo quotidie mane cochlea-  
ris mensura hausto, ex consilio Neandri,

pag. 86.

CEN-

236 EXERCITATIO XIV.  
CENSURA.

Quo delicatior est pars oculus qui curatur, eo exactiori indigent examine remedia illi applicanda. Uno verbo, Rhyas excepto oculis abstinendum est tabacum ob acrimoniam suam vimque erosivam: ad lacrymam equidem conferet fumus, exsiccat enim: at cochlearis mensura succum quotidie à senibus hauriri debere, vel posse, nullus cum Neandro dicet, siquidem ea mensura nimis violenter purgat, & quotidiana purgatio à nullo methodico præscribitur, fuerint licet robusti senes, ea tamen repetita purgatione maximam labem eorum siccæ temperiei inferri necesse est. Quod si siripi tabacini dimidium tantum cochlear fatis est, & tamen ibi est oxymel, & saccharum, ita ut ne cochlearis quidem partem octavam succus ita correctus occupet, quid de succo dicendum est puro, & mero, si seni exhibetur in dosi octupla? an ventriculo nihil nocuit aliisve partibus, num vomitus fecit violentos, dejectiones supervacuas, aliaque quæ à forti secundæque classis medicamento oriuntur incommoda?

6. Ad

*6. Ad aurium affectiones.*

Fumum auribus excipi, à surditate bombaceque obturari, succi vel olei guttulas instillari in eadem affectione, ut & aurium dolore, tinnitus, ulcere, vermisbus à causa frigida, vel flatibus jubent.

**C E N S U R A.**

Bombace odoro excipi oleum tabaci tutius existimari, & auri immitti; ad vermes autem, qui auribus irrepserint, præscribit Neander sulphuris, thalcis ana 3. j. succi nicotianæ q. s. fiant trichisci, quorum unus solvatur aqua peti, & in aurem mittatur. Quam formulam optimam censeo, cum sulphur auribus amicum sit ex diosc. l. 5. c. 73. thalcis loco pulverem absynthii santonici das rem.

*7. Ad Letargum:*

Ad lethargum à causa frigida omnino proderit tabacum sive in emplastris, sive in errhino, sive suffumigio, aliisve formulis exhibetur: potentius tamen remedium exquirit lethargus grandis, hinc sulphur, theriacam, aquam vitæ admisit Heurnius: tantoque mihi magis arridet in lethargo tabacum, quo magis existimo non à pura pituita provenire,

238 EXERCITATIO XVI.

re, sed immixtum pituitæ veneni narcoticigenus, quod à tabaco expugnatatur.

8. *Ad vertiginem.*

Pillulas tabacinas, petum capiti evacuando præscribit Neander, sed nullius apud me pro tabaco, authorando ponderis: in caputpurgio enim duplex est: at basis, adæquata præter cephalica meliorantia tria: in pillulis minima basis est tabacum.

CENSURA.

Hic diligenter de vertiginis causa distinguendum est, ut videamus, an sit vertigo per consensum, an verò in substantia, & quidem si à pituita, flatibus, vaporibus ventriculi crudis oriatur, conferre potest, verum cum plerumque vertigo juncta sit capitum siccitati, raro etiam continget, ut tabaco sit utensilium: quo scunque enim vidi vertigine vexari, iis caput plerumque siccus erat, vel parvum.

9. *Ad Epilepsiam.*

Succus unc. ij. pondere sumatur interpolatis vicibus, fiet enim, ut aquam atque pituitam purget: experientia (inquit Neander) nobis comperatum esse in pluribus attestamur qui sani fuerunt facti.

CEN-

DE TABACO      239  
CENSURA.

Tanto mihi probabilius est, tabaco vim esse adversus epilepsiam, quod hunc morbum peculiari veneni genere pituitæ immixto oriri censem, at pro praxi videndum esset, cuius habitudinis, & quoties corripitur in mense, nam pro symptomatum frequentia multiplicanda est medicinæ iteratio, quæ in minori dosi exhiberi posset.

10 *Ad ventriculi affectiones frigidas, ut crapulam, cruditatem intemperiem frigidam cum materia, inappetentiam &c.*

Ad ventriculi crapulam, cruditates, vermesque, calefacta sub cinere folia regionibus ventriculi adhiberi ab Indis mulieribus diximus, & sacculum ideo præscripsimus, scutumque ut deficiente folio viridi illuc recurri possit: ad intemperiem autem frigidam ventriculi cum materia, & appetentiam excitandam, advertendum, ut ne sint bilioso temperamento, illis enim gravius est, quam dici posset tabacum, ita ut contrarium designationi operetur, & pro ap-

240 EXERCITATIO XIV.

appetentia faciat nauseam: in aliis verò quibus pituitæ copia est, multum juvat.

11. *Ad dentium dolorem.*

Heurnius tabaci & camæmeli decocto in ore detento curatum fuisse à dolore dentis scribit in sua ad praxim methodo; Philippus Mullerus aquam præscribit, quam transcripsit Neander Tabaco l. 95. sed nihil facit, ut tabaci vires probet, cum suæ compositionis minimum quid sit tabacum, & philonio romano, semi-ni hyoscyami, opioque, utpote narcoticis tribuendus doloris cessantis effectus, rad. pyrethri, piperi longo si quid evacuantur, adscribi potest, unde cum tolli possit tabacum remanente eodem medicamento, nihil ad tabaci vires probandas confert.

CENSURA.

Dentium dolor à causa frigida nullo modo tollitur à tabaco, at minuitur eo, quod causam intercipiant gargarismi, morsuli, folia, conserva, aliæque tabaci formæ catharrum frigidum evacantes è capite. Sin autem dens esset cavus, indi posset bombacis oleo tabaci-notincti q. s.

12. *Ad*

12. *Ad Broncoceleem.*

Hic faucium tumor à causa frigida or-  
tus tabaci foliis materiam fluxuram in-  
tercipientibus potest caveri, facta purga-  
tione, inunctioneque partis convenienti,  
antequam morbus sit confirmatus.

13. *Ad asthma, & cæteras difficultis  
respirationis affectiones.*

Tubulos pro astmaticis examinavi-  
mus §. 19. exercit. vi. In pectoris, tho-  
racis, pulmonumque affectionibus fri-  
gidis mirum quantum potest tabacum,  
revéra cum proprium pituitæ vas sint  
pulmones, & caput sit ejus metropolis,  
tabacum caput pulmoneisque rimatur, &  
expurgat, pituitam ibi pervestigans.  
Astmaticis autem confert succus, siru-  
pus, conserva, tubuli fumus, vapor, folia,  
& vinum tabacinum, his adde aquam ta-  
baci, ætherea, essentiam, oximel, tabaci.  
Poterit ergo quotidie mane æger aliquid  
siripi deglutire, vel si ejus stomachus  
non ferat, ut contingit biliosis, ore deti-  
neat conservam, vel folia masticet.

14. *Ad anginam.*

Ad anginam pituitosam, & scirrhodē,  
suppuratoriāq; quatuor afferit formulas

L            Nean-

## 242 EXERCITATIO XIV.

Neander, quarum nulla directè de tabaco quidquam concludit, cum sint bases multiplices.

## CENSURA.

In angina neque deglutiendum neq; adhibendum tabacum est, nam intercisi piendæ pituitæ folia masticare nequam possunt, ob partium tumorem, qui non raro deglutionem prohibet, nem dum maxillarum motum: magnum tabaco periculum modicæ utilitatis spei conjunctum est, cum à vomitu fieri suffocatio possit, & ab agitatione faucium inflammatio major, majorque humorum cumulus. Cum hæc scriberem curabam ægrotum, qui angina laborabat *αγριωτάτη*, cui parum profuissent tabaci folia, sed curatione methodica morbum aggressus expugnare, omne studium converti, ut ad interiora procumbens inflammatus tumor ad exteriora revelleretur, quod attrahentibus & emollientibus factum, deductusque ad suppurationem tumor illum extra aleam posuit. Hæc scribo, ne forte juniores in his aliquando hæreant nugatoriis formulis, & viam Galeni regiam securamque pro infida empeiria deserere sollicitentur.

15. *Ad tussim, purulentas pulmonis exscreciones, pulmonum ulcera, phytisim, peripneumoniam, empyema, hæmoptisim.*

His omnibus affectionibus conferet tabacum ratione causæ, & modi tempes ramentique, cuius directione tanquam acu magnetica provehi debemus. Verum annotet prudens medicus admis cenda opportuna, & specifica tabaco vehicula; poterunt autem exhiberi, fumus, oxymel tabaci, sirupus, aqua, fomentum, sed præsertim sirupus ex tabaco apud nos nato conflatus.

Hic rursum ad has affectiones varias adducit formulas Neander, quarum basis minima est tabacum, ut p. 112. pag. 113.

114. 115. Balsamum peti ad pectoris & pulmonum ulcera probabiliter adhiberi potest, sed quid ad tabaci vires vindicandas pastilli, quos describit pag. 123. quam parum probat ejus electuarium ibidem? nec itidem multum sirupus in quo tabaci decoctum menstruum tantum est pag. 124. quid ejus looch minus ad rem pro tabaci viribus adstruendis pag. 128?

#### CENSURA.

Ad hæmoptisim nisi gravissimis circumstantiis, & indicationibus rarissimis per-

244 EXERCITATIO XIV.

suadetur, tabaco non est insistendum ob concussionem: tamen posset ore detineri conserva ut sputum absque motu proli ciatur si æger tabaco jam assuevisset ante a.

16. *Ad ventriculi imbecillitatem.*

A causa frigida exquisitum remedium est, sive extrinsecus apponantur folia sub cinere calefacta, qua ratione alvus etiam emollitur, sive inunctio fiat, sive sirupus aut conserva sumatur jejuno ventriculo 4. ante cibum horis.

17. *Ad ventriculi & lienis obstru ctiones.*

Ceratum potest fieri, itemque emplastrum, fomentum, linimentumve, ut

24. Succi tabaci partes ij.

Ammoniaci aceto solutip. j.

Resinæ terebinthi.

Capparumque p. f.

Succi lathyridis partem subquadruplam

Ceræ novæ q. f. Fiat emplastrum.

C E N S V R A.

Ventriculi obstrukciones solvi poterunt intrinsecis, at verò ad liensem non pervenit tabacum vi propria & specifica, sed tantum quatenus aperitivum est & atte-

& attenuans, unde quando tabacum debbit agere per qualitates tertias aut quartas, erit intus assumendum, cætero- qui primæ & secundæ qualitates extrinsecus melius adhibebuntur , nulloque periculo.

*18. Ad hepatis intempetiem, frigidam, & humidam.*

Vnguentum effingit Neander pag. 132. quod optimum Indico , ex oloë tabacino,& absynthio &c. Everartus præscribit ad omnes omnino hepatis affectiones distillatum cum fumo terræ tabacum, ut tamen hujus major sit quantitas.

C E N S V R A.

Nimium se se credit tabaco Everartus , in affectionibus enim hepatis biliosis, aut inflammationibus , neque fumaria neque tabacum aliud quam morbum exasperabunt : Si tamen effet inflammatio juncta pituitæ , non condemnarem tabacum cum caphura, ut ℥ Sirup. 3.i. caphuræ 3. s. sumat ex oximelite.

*19. Ad Renum dolores à flatu, aut frigida crassa que materia.*

Præscribit fomentum Neander, alii ore sumendum credunt succum , sirupum ve.

## 246 EXERCITATIO IX.

## CENSURA.

Non pervenit ad renes usque tabaci in purgando vis, nam ad partes omnino oppositas vergit, caput scilicet & pectus, quibus specificum est medicamentum, si tamen alicui ita videretur, posset tutò in vesicam immitti per penem cat hetere aut syphone, fiet enim ut suam vim tabacum ad renes statim feliciterque derivet, imò quodam calculo liberatos ea ratione ferunt.

20. *Ad pleuritidem.*

Syrupum maximè commendat Neander, facitque etiam unctiones non inutilles.

## CENSURA.

Nihil tabaco & pleuritidi commune est, nisi quod sputa promovet, at cum exhibeat syrupum qui purgans est, quo titulo respondebit indicationi quæ plerumque est à bile? securius est cholagogue propinare.

21. *Ad syncopem.*

Fumus & oxymel commendatur à nonnullis, fumus quidem ut ad se reheat, oxymel verò tabacinum, cum jam à symptomate est revocatus.

## CENSURA.

Ad hoc symtoma inutilis est tabaci commendatio ubi aqua frigida sufficit,

&amp;

& si fumo utendum, præstat suavioribus suffumigiis caput reficere, & cardiacis quibusdam vaporibus quam tabaci fumo, qui non nullos ad ipsam syncopem deduxit: oxymel autem tabacinum non est inutile, specificum tamen nequaquam.

### 22. *Ad lambricos.*

Sirupus 3. ij. uniusq; pondere sufficit, imponendum ventri folium, alvus lacte eluenda: si hæc omnia fiant, ejicientur vermes, CENSURA.

Expertus sum in puerulis folia ad vermes interimendos ventriculi regioni apposita, aut umbilico nihil proficere; syrumpum non exhibui, neque vero 3. i. quam dosim dat Neander, auderem imbecilli adeo teneræque ætati propinare, cum multo tutiora mitioraque medica- menta suppetant, ut confection ex fl. per- fidorum.

### 23. *Ad calculum renum.*

Nisi jungas optimum tabaco vehiculum, nihil facies, & si calculus induruit, frustra moliris quidquam: cæterum pul- veris 3. S. cum aq. saxifragæ aut fenicu- li, prodest ex Mercato, item aqua stillati- tia, quam pro clystere vesicæ consuleret, quia sic efficacius ageret neque pericu- lum esset ne vomitu rejiceretur. Fomen-

L. 4.

tum.

248 EXERCITATIO XIV.

tum item dolenti loco applicatum laudabile est ex foliis tabaci calidissimis.

24. *Ad dysenteriam.*

Folia peti fæminæ in clysterum decoctionibus mire prodeesse scripsit Neander pag. 155.

CENSURA.

Petum fæmina supparis est cum mare virtutis, estque itidem phlegmagogum, & quidem acre, non itaque prodest dysentericis, nedum, cum adverbio admirantis, commendandum.

25. *Ad colicos iliacosque dolores.*

Emplastra, sirupum, pulverem, foliorumque appositionem tanquam certam dolori compescendo medelam commendat Neander in colico dolore à flatu.

CENSURA.

Tabacum colicis iliacosque doloribus subvenire posset tum intus tum extra adhibitum si à flatibus aut pituita fæcibusque induratis ortum habeant nulli dubium est, cum sit phlegmagogum: at si sit morbus à pituita vitrea, tabaco non cedit, ut expertus sum in stupendo dolore colico plebei unius, qui omnia pene medicamenta illi morbo appropriata pituitæque viscidæ, aut incidendæ, aut præparandæ

randæ, aut evacuandæ dicata, frustra tensavit, atque adeò post multiplicem præparationem, purgationes varias, adhibita etiam doctissimorum virorum qui à me vocati sunt consilia, diligentia remediisque minoribus. Quis credat colicum morbum tribus clysteribus optimis, plurimum dierum præparationi, iterata quater, vel quinquies purgatione non cessisse? Post tot remedia quæ causam, vel minuere vel fatigare debuerant exhibui decocti tabaci sirupique optimam dosim, quæ remanente morbo & dolore optimè operata est sursum deorsumque novem postea diebus ex clarissimi medici consilio terebintina, ut pote valde abstergente, humorem vel minuere vel eliminare tentatum, secuta ex diaphænico &c. purgatio, superstesque tot remediis morbus fuit, dum tamen æger in terea optimæ victus regulæ insisteret, aqua juniperina vinum suum dilueret, vel aqua cinamomi sola uteretur, cæteraq; indicationi consentirent: tandemq; hic pertinax humor post incidentia præparantiaq; spretis agarico, diacatholico, tabaco, diaphænico, terebintina, sena, & quod me inscio sumpserar imprudens æger, morsulis ex Diagridio concinnatis, oleo rutaceo, cuius beneficio se se à scœvis

250 EXERCITATIO XIV.

pituitæ vitreæ doloribus liberatū scribit Galenus, oleo amygd. dulciū & amara- rū, quæ ipse hausit, his inquam aliisq; remediis superstes morbus videbatur exitialis ob pertinaciam futurus, cum jam illum septem fere hebdomadis vexasset, jussi tandem quiescere à remediis omnibus, & post triduum vinum asari exhibui, quo supra meam aliorumque spem omnino convaluit. Non est ergo ita certum, adversus colicum Iliacumque dolorem tabaco uti, quamvis si non adsit pituita adeo tenax, utiliter adhiberi posse existimari.

26. *Ad tenebrum.*

Si à flatibus sit, curabitur clysteribus ex oleo tabacino,

CENSURA.

Nihil hic peculiaris habet tabacum, imo cum non sit diaphoreticum, nisi ratione caloris, non est specificum tenebro remedium.

27. *Ad uterinos affectus.*

In uterino dolore applicantur folia tabaci sub cineribus calefacta, ad id ut interiores vires ad superficiē veniant, & sic uncto umbilico, & pube ex oleo applicant. In uteri procidentia Colerus aquā stillatitiam cum oleo myrrhæ, & spiritu tere-

## DE TABACO.

251

terebinthinę cōmendat, tribus ante cibū horis exhibitam. In suffocatione matri-  
cis folia utero applicantur, fit suffumi-  
gium ex tabaco. *Suffitus hic* ( inquit  
Neander) *in finu infernē acceptus nobile  
hoc viscus revocat.*

## CENSURA.

Tabacum hystericum non est, & ute-  
rum non juvat nisi ratione caloris &  
siccitatis. Fumi autem tabacini usus  
ad suffocationem matricis mihi non  
probatur, quia ingratus est, at suffimina  
matrici revocandæ debent esse odora  
ex inferiori parte, supernè autem in-  
grata, ut ait disertis verbis Hipp. l. 2. de  
morb. mul. num. 97. Indicis mulieribus  
solitum est asservare folia tabaci ad ute-  
rindis affectus, ut ea scilicet extra appli-  
cent, ut ait Monardes, non autem ut suf-  
fimina ex eo faciant, ut dicit Neander,  
qui Monardem pro se in eo non recte  
cit.

## 28. *Ad partum accelerandum.*

Laudantur aquæ peti unc. ij. facitque  
hæc aqua epota ut partus acceleretur, &  
fætum absque dolore excludat mater.  
*Fidum, & probum remedium* vocat Nean-  
der.

## CENSURA.

Mihi dubium esset hoc remedium,

L 6

quia

252 EXERCITATIO XIV.

quia sursum trahit naturæ impetus spiritusque qui deorsum vergere debent in partu, imò cum, ut ait Rodericus à Castro l. 4. cap. 6. de morbis mul. in partu prægnans debeat eniti ad alvum, & ute- rum tanquam alvum esset exoneratura, qua de causa ergo aquam tabaci ad unc. ij. quæ acerrimas vomitiones excitabit, præscribemus, cum tabacum non sit specificum ullo modo cum utero, aut partu? Sico equidē Americanas mulieres, tūm quæ in septētrione, tūm quæ in meridiē degunt, præsertim Brasiliæ, & Francicas, Virginianasq; nihil fere in partu laborare, imò Brasilæ mulieres nulla unquā habent menstrua, ut ait Joannes Lerius in Hist. Brasiliana, quod non tabaci usui, sed maximis laboribus quibus assuevere tribuendum est. sunt enim exercitata magna vitæ varietate mirisque incommodis corpora, nostris aliquanto robustiora, sensimque habent semihebetem, quam rationem attigit Aristoteles, l. 4. de generat. animal. c. 6.

29. Ad duritiem splenis, & tetanum.

Prevotius in sua remed. materia ad duritiem splenis tabaci folium impositum parti laudat. Intus sumptus succus aquaq; prodest, utrumq; melius si simul fiant. Ad tetanum laudantur pariter tabaci.

ci folia, oleive tabacini inunctio cervi-  
ci facta.

### CENSURA.

Ad splenis duritiem tollendam oper-  
tebit succo vel tabaco aliquod specificum  
cum commiscere, deinde folio tabaci  
calido partem oleo tabacino delibutam  
fovere, fiet enim ut illuc duabus de cau-  
fis tabacum eat, primò ratione vehiculi,  
secundò ratione folij superpositi, nam  
simile pergit ad simile, & positum ibi  
folium vim habet trahendi ad se tabaci  
spiritus, ut magnes ferrum trahit. Cæ-  
teroqui, ut diximus alibi, tabacum non  
est appropriatum lieni.

*30. Ad dolores, capitis, crurum, bra-  
chiorum, renum, dorsi, à vento, fri-  
gore, lassitudine, morbi reliquis,  
purgante violento contractos.*

Everartus unum aut alterum folium  
sub cineribus calefactum applicari ju-  
bet: oleum magis probarem, facilius  
enim penetrat, essentiam certè, spiri-  
tumque quis non efficaciorem foliis  
faciliusque applicabilem videt? Ad re-  
num autem gravatorum curationem  
plus raphanum unum, vel vini albi  
cyathus cum faccharo & succo limo-  
num facit, quam tabaci succus: expertus  
sum:

*31. Quid*

31. *Quid pos. it ad orechmos pene  
desperatos tabacum, exposuimus su-  
pra.*

*Problema. Cur tot vires tabaco tribu-  
tae, & ad tot morbos adhibitum est?*

Respondeo necessitatem hujus rei  
causam fuisse, cum enim specificis, &  
appropriatis careant Indi, aut ea vulgo  
ignorent, unius remedij insistunt applica-  
tioni, & cum tabacum & pleraque  
alia purgantia habeant tot qualitates,  
alias curant ratione primarum, alias ra-  
tione secundarum, tertiarum, quarta-  
rum ve. Ut exempli gratia confert.

Calore suo morbis sub nu. 6. 17. 18.  
19. 25. 26. 29. &c.

Siccitate 1. 3. 5. 6. 7. 14. 18. 19.  
27 &c.

Ratione secundarum qualitatum 4. 5.  
6. 10. 14. 23. 25. 29. &c. Ratione tertia-  
rum qualitatum respicit omnes mor-  
bos sub generali iudicatione expur-  
gandæ pituitæ, aut aquarum.

Ratione verò quartarum qualitatum  
convenit affectibus à tota substantia  
homini infestis ubi est aliquid veneni.  
Ex quibus videmus quare tabacum  
ad tot morbos adhiberi possit, quamq;  
fa-

facilè sit idem in rosis, verbi gratia, mori, vel terebintina, aut aloë. Verum istud discriminis est, quod in tabaco negari non debet vim esse valde magnam, quæque causis satis pertinacibus expugnandis sufficiat, unde & ipsi peculiaris in medicina honor habendus. Hactenus de morbis internis, ad externos veniamus.

*S. 3. Morbi particulares externi quibus tabacum subvenit.*

*I. Ad ulcera omnia.*

**S**crophulas, lichenes, ulcera cancrosa, & serpentia, aliaque etiam maligna sanat succus, pulvisque : oleum præscribere audet Neander; tantum tabaco credit, innumeris id experimentis compertum est à Nicotio, Monarde, Neandro, Clusio, & aliis; Si ergo ulcera sint in naribus, tonsillis, gingivis, faucibus, pulmonibus, pudendis, capite, pedibus, auribus, quamque de causa, tabaco ad ea uti poteris: imo cancros tabaco sanatos fuisse docent, & mentagram, sive noli me tangere. Succus cum spissamentis efficax est. Salem tabaci ulceribus impunito, sanabit absque dolore.

CEN.

256 EXERCITATIO XIV.  
CENSURA.

Neque his omnibus credas velim, res ferti sunt speciosis promissis medicorum libri, & quorundam in afferendo vanitas eo serpsit, ut remedia adducta ab iis revocanda sint ad primæ probationis exercitia.

2. *Ad pediculos, phtyriasim, & tineam.*

Herba in vino cocta, præmissa purgatione è sena, tineas malignas sanat, oleumq; probabilissimè adhibetur, succusque: ad lichenes succus & spissamenta; ad capitis pediculos succus idem cum sem. staphisag, & adipe suillo; ad phtyriasim decoctio fol. tabac. staphis. & aq. dummodo nihil sacri diviniq; morbus obtineat, proderit.

3. *Ad porriginem, achores, & polypum.*

Fiat lotio capitis ex aqua saleque tabaci, ad achores succus, & sem. nicotianæ emulsio ex ol. juniperino. Polypum fuso, naribus træto, quatuor aut quinque diebus sanatum ait Platerus, Monardes narium ulcus succo curatum perhibet, quam assertionem ob sternutationis succussionem, maximè demiror.

4. *Ad*

*4. Ad ranulam.*

Si à pituita sit, aperiatur scalpello utrinq[ue], ut humore effluat, fricitur sale tabacino, & cum ovi albumine pul. tab. in linimenti formam applicetur: fiat ex decocto tab. gargaris. vel fumum sorbeat æger.

*5. Ad strumas, tumores, thymum.*

Emplastrum de tabaco, unguentum-ve, & corrosivum è sale tabaci commen-dabile est cum oleo tabacino; tumores alios discutit, & thymum resiccat in se-de, ac pudendo linimentum ex sale taba-ci, lapide amiantho, &c. cum ol. ros.

*6. Ad oedema, Gangrenam, cancrum, lupum si flulasque.*

Purgato ægro applicabis parti affectæ succi tabacini spissamenta, oleique q. s. si gangræna oriatur à frigore, juvabit suc-cus instillatus, tritaque folia imponere parte etiam prius aqua peti lota. Cancri dolores pulvere tabacino succoque si-stuntur, ejusque habetur erosio, & ali-quando curatus est. Ad Lupum habet emplastrum Neander pag. 166. ad fistulas potionem p. 166. De cancro, sphace-loque ne credat.

*7. Ad*

7. *Ad hemorrhoides, & herniam.*

Emplastrum facit Neander, & vaporem à decocto elevatum anno jubet excipere: quem in hac curatione non sequar, ne acrimonia tabaci magis asperetur dolor. Semen tabaci oleumq; cum aliis rebus commendant ad herniam aquosam. Teri folia juberem, ac cū oleo tabacino instituerē cataplasma.

8. *Ad verrucas, clavos, cirones, perniones, lapsos ungues.*

Ad verrucas commendat Neander, idem de clavis ab Euerarto colligi, ait, ad cirones oleum succumq; adhibent: ad perniones viridibus tabaci foliis pedes fricari jubent, unguentum emplastrumpue de tabaco adhibent; aqua ad lapsos ungues confert.

## CENSURA.

Nihil ad verrucas clavosque tabaci succus conferet, si tamen clavus ad radices usque absindatur verrucave, sal tabaci aspersus reliquis erodendis adhibeatur innoxia experientia, sed spem forte elusura.

9. *Ad vulnera omnia.*

Recentia folia vulneribus imposita sanguinem fistunt, putredinem arcent, carnem glutinant, magna vulnera ab-

Iuantur aqua tabaci vel viño, tum succus infundatur : commendantur potiones, è tabaco vulnerariæ. Sin autem venenata sint vulnera, vix fidelius remedium tabaco præscribi potest.

10. *Ad morsum canis rabidi, ictus urticæ, punctiones, venenatosq; morsus.*

Succus statim, folia spissamentave adhibenda, ut vi alexipharmacica venenū arceat, cæteris qualitatibus vulneri subveniat, antequā virus ad præcordia serperit. Opportunum etiam erit intus adhibere ; Urticæ ardores statim compescit admotus succus, vesparum, apumque aculeos eludit.

11. *Ad mures, glires, cimices, pulmones marinos &c.*

Glires muresque aqua decoctoq; tabaci gustato moriuntur, ut ait Colerus. cimices necat attrita lectis herba ex Olivario Serræo. Pulmonū marinorum ictus, qui natantium testiculis magnos dolores inferunt, curantur, sedaturque dolor succo tabaci perlinito ex Porta. Malum in equis serpens succus cum spissamentis sanat, equorum tibiis porros adnascentes, attritiones, & ulcera pulvere vel succo per sanantur absque itineris mora.

12. *Ad*

**12. Ad inflationes ventris, pruritus,  
ambusta, scabiem, pustulasque  
& furunculos.**

Inflationes ventris pueris adeo familiares appositis tabaci foliis discutiuntur, oleoque pruritus succo sedatur, ad ambusta recensent Everartus, & Neander frigidissimam historiam, quæ nullius apud me est momenti cum diurna sit, magnisque doloribus juncta curatio; ad scabiem, pustulas, furunculos adhibe oleum, unguentum, succum, folia trita, ut libuerit.

**§. 4. Cosmetica è tabaco Remedia.**

*Ad ruborem faciei, dentium nigredinem,  
cutis asperitatem, vultusque triflitiā.*

**R**uborem faciei ingratum tollit fucus, & spissamentum in quo linteolum intinxeris, & apposueris maxillis, idem de oleo, & aqua judicium esto. Ita Everartus.

Dentifricia ex sale præscribit Neander ad dentium dealbationem, cineres tabaci

tabaci conferunt si affracentur : ad cutis asperitatem fiat lotio ex aqua pura primum, deinde siccata facies lavetur aqua tabaci, sinaturque siccari sponte, postea iterum lavetur, vel aqua rotata aut communis, idem de manibus esto. Vultus tristitia simili modo discutietur, quia tabaco vis inest abstergens. Hæc in fœminarum elegantiae amantium gratiam dicta sint, nam *forma viros neglecta decet*.

§. 5. *Censura severior virium tabaci.*

**V**Idisti, ô amabilis lector, quot morbis opituletur tabacum, ex Stephano, Monarde, Dodonæo, Dalechampio, Serœo, Everarto, Fioravanto, Crolero, Mercato, Vekero, Heurnio, Sennerto, Felice Platero, Porta, Neandro &c. Verum aliqui nimis fortasse proxilè de hac herba sanè admiranda senserunt. Utque sunt nunc temporis medici, qui tabacum omnino oderunt, ita illi adorarunt fere. Ego media incedo via, & optimum esse tabacum singulareque remedium censeo, at nec omnibus, nec ad omnes affectus conductit : illi autem cæteris circumstantiis à temperamento &c. petitis consentientibus, ut superius diximus, confido quinque in rebus præcipuis.

i. Ad

262 EXERCITATIO XIV.

1. Ad plerasque capitis ventriculique affectiones frigidas.
2. Ad vulnera & ulcera præsertim pudendorum & mammarum, si desit inflammatio.
3. Ad asthma, tussim, dyspnæam, affectusque thoracis frigidos.
4. Ad alvum subducendam, pituitamque expurgandam, modo vitrea ne sit.
5. Confert ad præservationem ab arthritide, non autem ad illius sanationem.

§. 6. *An indicum tabacum, an apud nos natum sit eligendum?*

**A**D quæstionem autem, utrum nostrū Indicumve tabacum eligendum sit? Respondeo, nostrum semper esse præferendum. Primo, quia recens est. Secundo, quia non est adulteratum, & rebus exoticis ignotisque corruptum. Tertio, quia nostro temperamento minus est adversum sub eodem cælo natum. Quartò, quia experientia Neandrum, meque docuit, quod siripi aliaque ex tabaco Indico præparata per extractionem virtutis, alicujus menstrui beneficio, magis sunt acria minusque benefica. Pro hac autem quæst.

quæst. vide exercit. I. §. 5. & exercit.  
5. §. 5.

## CONCLUSIO.

Non sunt aspernenda remedia, quod nova sint, sed examinanda sunt: multa n. quotidie detegimus antiquis abdita; inventaque majorum nostraque posteris assertari aliquid à natura reconditi, quod ad orbis commoda pandatur fidem faciunt, nedum spem. Detectam hoc etiam nomine cælesti consilio Americam crediderim, orientalesque Indias, ut fatiscens senioque laborans humanum genus, cui adèò nunc temporis fluxa est imbecillisque corporis habitudo, communicatis à toto orbe medelis, reparetur: quæ quantæ sint, è tabaco tanquam ex ungue leonem agnosce: Qua de herva licet diffusius quam quisquā egerim, dicā tamē quod de admirando suo aureoque opere scribebat ad D. Vespasianum mirus divinusque Plinius: *Adjecimus plurima quæ aut ignoraverant priores, aut postera invenerat vita. Nec dubitamus, multa esse quæ & nos præterierint, homines enim sumus & occupati officiis, subcisisque temporibus ista curamus, ne quis vestrum putet his cessatum horis.*

264 EXERCITATIO XIV.

ris. Dies vobis impendimus, cum somno  
valetudinem computamus, vel hoc sole  
præmo contenti, quod dum ista, ut ait Var-  
ro, mussitamus, pluribus horis vivimus, pro-  
fecto enim vita vigilia est. Sommus enim,  
ut ait Aristoteles lib. 5. de gen. animal.  
cap. 1. vivendi & non vivendi interlimi-  
nium est.

F I N I S.

